DE SACRIS BASILICIS

SS. MARTYRUM MARCELLINI PRESBYTERI, ET PETRI EXORCISTÆ

DE URBE:

Dissertatio Historica

JACOBI LADERCHII

Congregationis Oratorii ejusdem Urbis Presbyteri.

ROMÆ, MDCCV.

Per Franciscum Gonzagam in area Sancti Marcelli, ad viam Cursus.

SUPERIORUM PERMISSU.

Eminentiſs. & Reverendiſs.

PRINCIPI DOMINO

D. FRANCISCO PIGNATTELLO

S. R. E. TITULI SS. MARCELLINI, ET PETRI

PRESBYTERO CARDINALI,

Archiepiſcopo Neapolitano.

JACOBUS LADERCHIUS FELICITATEM.

MAgna, atque præceſſa gloriæ Martyrum teſtimonia apud Fideles, Baſilicæ, ſeu Memoriæ in ipſorum honorem conſtructæ fuere ſemper, Em̃e Prin-

ceps; in eis enim frequenter convenire consueverunt, inquit Augustinus, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exsurgeret, ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari poterant, & in illum, quo adjuvante poterant. Sanctissimis, & invictissimis iccircò Martyribus MARCELLINO, & PETRO præcipuas in Urbe excitatas fuisse *Basilicas*, mirum non est; cùm enim inter reliquos cælestis Regis milites fortissimo certamine, nobilissimoque Romæ emicuerint triumpho, æquum sanè fuit, Romam eorundem victoriæ ipsas testes adhibuisse.

D. August. lib. 20. contra Faust. cap. 21 tom. 6.

Verùm quia, temporum injuriâ, vix unius *Basilicæ* vestigio superstite, & alterius haud parum imminuto decore, penè non erat, quod ex illarum admonitione ignis charitatis exsurgeret, vel in Martyres, quos imitari possumus, vel in Deum, quo adjuvante possumus; ideò Beatissimus Pontif. CLEMENS XI., dùm ferventissimo zelo ipsarum restaurationi animum adiecit, ex sacris ipsis *Basilicis*, Sanctorum quodammodò prælucidum gloriæ ignem eduxit, & unam ex eis Tibi, Princeps Eme, creditam, novo lumine ornavit, ut Tu eidem admoto, quo mirè ful-

ges, munificentiæ ſplendore, talem exhibeas, qualem Inſignium Martyrum decet triumphi teſtem, ut in eà piorum charitas acuatur, & in illos, quos imitari poſſunt, & in Deum, cujus poſſunt auxilio. Quæ igitur *de ſacris eorundem SS. Baſilicis*, eodem Bm̃o Pontifice præcipiente, incultè exaravi, Tibi deberi quis neget? Cùm enim MARCELLINI, & PETRI *Titulum* aſſumpſiſti, cùm eo ſimùl quæcumque ad Martyrum honorem, & venerandas illorum *Baſilicas* pertinent, Tibi pleno jure Te comparaſſe cognoſcimus; undè ad Te ſpectat, quidquid ad

eas ſpectat, & præcipuè ad illam, quæ Tibi à tanto Pontifice tradita, à Te etiam novis irradiari fulgoribus deprehenditur, & per Te primævo ſe reddi expectat nitori. Accipe igitur, Eminent. Princeps, quo ſoles, benigniſsimo vultu tenuem hanc mei in Te obſequii ſignificationem, nec à me coli, & obſervari dedignere, cùm præcipuè ex tuis id acceperim, quò Te obſervem, & colam. Vale.

Romæ ex Ædibus Vallicellanis xviii. Kalen. Septembris anni 1704.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus de Zaulis Episc. Verulanus Vicesger.

D*issertationem hanc Historicam* de Basilicis Sanctorum MARCELLINI Presbyteri, & PETRI Exorcistæ Martyrum de Urbe, *ab admodùm Rev. Patre Jacobo Laderchio Congregationis Oratorii Urbis Presbytero, gravi, luculentoque stylo conscriptam, mandante Reverendiss. Patre Fr. Paulino Bernardinio S. Apostolici Palatii Magistro, accuratè perlegi, nihilque in eà, quod Catholicæ Fidei, vel bonis moribus adversetur, inveni. Quin potiùs ipsam Christianæ pietatis sensibus ubique refertam, & multiplicis eruditionis floribus exornatam animadverti. Quapropter Ecclesiasticæ antiquitatis cognoscendæ studiosis, jucundam simùl, ac utilem futuram, adeòque prælo dignissimam censeo.*
Romæ die 11. *Octobris* 1704.

Jo. Christophorus Battellus.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatii Magister.

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA.

nuntur

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

PRÆ-

PRÆFATIO.

SI virtutum finis ille est maximus, qui plurimorum spectat bonum; virtus ea in optimo Principe planè omnium pulcherrima est, quæ non tantùm præsentia vitia subegisse, cæterasque virtutes excoluisse cognoscitur, verùm etiam famam præteritorum temporum expurgasse deprehenditur. Cùm enim magnum sit vel unius sæculi facta componere, etiam in parte modicà Mundi, & inter paucissimos gesta; quid erit plurium sæculorum, plurimarumve ætatum errata corrigere, culpasque delere? Ad hoc tamen virtutum omnium summum, & perfectissimum culmen pervenit B.mus Pontif. CLEMENS XI., *dùm non solùm vigilantissimà providentià sui sæculi consulit gloriæ, sed superiorum insuper ex intimo corde occurrens calamitatibus, iniquum ipsorum exitium totis viribus relevare contendit, ut omnium sæculorum triumphale sibi decus adipiscatur.*

Rebus autem sic præclarè gestis æternitatem, Maximum hunc Pontificem curare famæ, & nominis sui, non tantùm nè quid futura ætas præsentis hujus temporis inveniat corrigendum, sed etiam ne aliquem antè ipsum transactorum sæculorum inexpunctum errorem reperiat, citrà omnem assentationem, & dubitationem pronunciare possum. Cùm enim præterito anno 1703. *die* 30. *Julii ad benignissimi Pontificis pedes provolutus jacerem, inter alia, quæ in sermonem inciderunt, fuit illud, quod vetustæ Urbis memoriæ, & præcipuè sacra, & primæva nostræ Religionis monumenta multis ab hinc sæculis, omni in novis Templis magnificè construendis collato studio, penitùs derelicta, abjectaque remansissent*: (Quod piorum ingenium, *inquit*, etsi minimè improbandum censeamus, nihilominùs magis probandum fuisse arbitramur, si novæ Ecclesiæ excitatæ fuissent, absque eo quod veteres esse desinerent, quod ut plurimùm evenisse animadvertimus. Firmissima siquidem nostræ Religionis argumenta non à recens antè nos excitatis Basilicis, sed potiùs à vetustissimis, in Urbem adventantes Heterodoxi expetere consueverunt; quapropter nostra ea mens est, non ut antiquæ novis superve-

nien-

nientibus cedant, sed potiùs ut immobiliter stantes post tot sæculorum curricula pietatem eorum, qui novas ædificarunt, contrà obtrectantium Hæreticorum turpissimas detractiones defendant, & isti præsentià Religionis, quam tamdiù in sacris Basilicis, & Templis viguisse cognoverint, urgeantur; nàm si longa ætas nostro hoc infelicissimo ævo auctoritatem Religioni facit, procul dubio servanda perhibebitur illa tot sæculorum Fides, & legenda cognoscentur vestigia primorum Christianitatis Fidelium, qui veræ Fidei primos Parentes feliciter sequuti sunt suos. Vidisti, quæ fieri mandavimus in Basilicis S. Mariæ Transtiberim, & S. Theodori? Eadem ipsa & in aliis quoque pervetustis Basilicis, quantum temporis hujus acerbissima conditio permittet, fieri volumus, ut venerandæ antiquitatis memoriæ, sæculorum injurià labefactatæ reviviscant, & si Heterodoxis exemplum non facit pietas hodierna Fidelium, faciat saltèm Religio veterum. Inter hæc verò omni cultu digna vetusta monumenta, in præsens sacrarum *Basilicarum Sanctorum Martyrum*, MARCELLINI, *&* PETRI instaurationi animum apposuimus, ut primævo restituantur nitori; quapropter tuum sit etiam literis exarare, quanta olìm *Basilicarum* ipsarum fuerit præstantia, ut indè etiam eniteat, quàm æquo jure ipsis restituendis nos studia nostra adjecerimus).

Ex his profectò Sanctissimi Pontificis verbis liquidò ostenditur, eundem ferventissimo zelo taliter velle nova construi monumenta, ut ea sine priorum imminutione erigantur, & propositi esse sui, non modò, ut nova excitentur, sed etiam ut præ vetustate jàm fatiscentia denuò vitam, ac lucem accipiant, quod pii sanè, magnique, ac excelsi animi Pontificis est.

Verùm cùm hæc admirationi potiùs esse debeant, quàm dignè laudibus extolli, vel simplici etiam sermone explicari posse credantur; hinc maximopere, fateor, conturbatus sum, ac commotus animo, cùm de præstantià Basilicarum SS. MARCELLINI, & PETRI, *quarum (ut audisti Lector) instaurationem tunc Princeps piissimus meditabatur, aliquid scripto tradere jussus fui, tùm ob virium mearum, ingeniique imbecillitatem, tùm quia nunquàm ejusmodi perlustrandis rebus operam dederam. Nibilominùs propriæ tenuitatis oblitus, tanti Pontificis adversari præcepto*

laud

haud ausus sum ; nec rei magnitudo sic me deterruit , ut subjectionis , & obedientiæ vinculo magis me alligatum non arbitrarer . Icciricò manum operi adhibui, quod cœptum die 7. Augusti, ejusdem mensis 29. complevi , & 18. Septembris Sanctitati Suæ humiliter obtuli . In hoc autem , quæ complexus fueram , non modò pauca erant, & concisa , sed etiam inter ea inexplanata multa, & rudia; brevitati siquidem studens , & adversà præpeditus valetudine , quamplurima in eo omiseram , quæ exoptari poterant , vel nonnulla posueram , quæ meliùs expungi desiderabant . Visum est igitur sapientissimo Pontifici , ut Opusculum denuò elaborandum susciperem ; quapropter per clarissimum , atque eruditissimum Virum Joannem Christophorum Abbatem Battellum domesticum suum Bibliothecarium , & Epistolarum latinarum à Secretis , in sacrà , & prophanà eruditione inter nostri ævi versatos , doctissimum (uti egregia , quæ edidit , monumenta testantur , & majora , luculentioraque , quæ ab eo literaria Respublica expectat , in dies ampliùs demonstrabunt) , hoc mihi suum mandatum die 17. Februarii præsentis anni significari voluit , & ad rem perficiendam tùm ex Archivio Vaticano MSS. Codd., tùm alia, quæ operi optimè instruendo necessaria videbantur, insigni admodùm munificentià, & liberalitate mihi suppeditari imperavit .

Hæc igitur causa, & cur primùm Opusculum elaboraverim, & cur illud deindè in opus non minimùm excreverit. Paucis siquidem , quæ propriè ad sacras SS. Martyrum Marcellini, & Petri Basilicas *spectant , comprehendi potuisse haud diffiteor ; sed tamen quia hæc fundamentis vel dubiis , vel parum notis rebus innitebantur , ideò in illis aut explicandis , aut constabiliendis , producere sermonem , ultrà certè quàm volui , coactus fui : immò hac eàdem necessitate obstrictus , multoties etiam à propositâ re omninò evagari compulsus fui . Quid enim* ad Basilicas SS. Marcellini , & Petri , *vel* Constantiæ Mausoleum , *vel* Carinarum *situm explanare ? Quid de* Titulis Presbyterorum Cardinalium *longam dissertationem attexere ? Et tamen quia liquidò ostendere minimè potuissem , quid fuerit* Mausoleum Helenæ , *& id* à Basilicâ Sanctorum Marcellini, & Petri extrà Urbem , *qua ratione discretum , nisi de* Constantiæ Mausoleo *pluribus egissem , ipsum ideò longâ investigatione oportuit perscrutari . Sic pari ratione de* Carinis

Carinis

rinis *disserui, quia, cùm sub ipsis* Suburram, *& in hac unam ex* Basilicis Sanctorum Marcellini, & Petri *fuisse perhibeatur, opus fuit procul dubio, quonàm loco* Carinæ *fuerint, declarare, ut ex hoc, &* Suburræ *deindè, &* Basilicæ *in ipsà situs agnosceretur.*

Cùm verò de Titulis Presbyterorum Cardinalium *multiplex fuerit inter Ecclesiasticos Scriptores disceptatio, necesse sanè fuit, quid* Tituli *fuerint, examinare, ut ostenderetur, aut quænàm ex duabus* Basilicis Titulus *fuerit, vel qua ratione una tantùm ex ipsis hoc nomine insigniri potuerit. Quod autem de* Mausoleo Constantiæ, *de* Carinis, *&* Titulis, *hoc ipsum planè de quamplurimis rebus aliis, hoc opere comprehensis sentiendum est; quæ nempè, licèt à proposito nobis argumento alienæ, tamen ad ipsum explanandum, & intelligendum profectò congruere sapientissimo Lectori, ut spero, videbuntur. Hac de causà per extensum quoque Scriptorum sententias protuli prolixiùs forsan, quàm oportuerat, nè ipsarum robur imminuere aliqualiter viderer, si aliis, quàm ipsismet illorum verbis eas produxissem, utque illæ æquè, ac levissimæ opinationes meæ, Lectoris judicium subirent, nè apud ipsum plenè in jus vocatas non fuisse, (ut plurimùm contingere solet) insimularer.*

Cæterùm cùm in re omnium implicatissimà, qualis videlicèt hæc est, quæ tùm circa Ecclesiasticam, tùm circa prophanam versatur antiquitatem, multotiès ab insignium Scriptorum sententiis discesserim, id non temerario ausui, quod absit, sed veritatis dumtaxàt amori (ut alibi me dixisse memini), eruditum Lectorem meum, tribuere velit, enixè deprecor; nec putet, quod verum solummodò, quidquid excogitavi, censendum esse, ipsi suadere voluerim, sed tantùm, quod cæcutienti oculo meo veri speciem præsetulit, ipsi proponere optaverim, meliori, & purgatiori ipsius judicio propriam semper subditurus sententiam, doceri cupiens, ut discam. Hoc igitur benevolo ingenio mea legat, quicumque legit, non ut à me erudiatur, sed ut erudiat, & inerudito parcat, quæ minùs cautè, minùs attentè edita cognoverit, nàm discendi amore, non docendi tumore, nec jactantis studio, sed obtemperantis obsequio scripsit.

In Præf. ad Vit. S. Petri Damiani.

DE

DE SACRIS BASILICIS
SANCTORUM MARTYRUM
MARCELLINI, ET PETRI
DE URBE.
Diſſertatio Hiſtorica.
Pars Prima.
CAPUT PRIMUM.

S. Tiburtii Martyris Paſſio, & Sepulcrum Via Lavicana, inter duas Lauros; *quisnam hic locus.*

SANCTÆ Romanæ Eccleſiæ fœcundiſſimus Ager, Apoſtolici ſeminis immenſos afferens fructus, inter innumeros, ſub impia perſecutione Diocletiani, & Maximiani Cæſarum, in Petri Cathedra ſedente Cajo Pontifice, ſelectiſſimum præ aliis edidit Sanctum Tiburtium, cui, utpotè Chromatii Præfecti Urbis filio, *Anno Domini 286.*

 ſi in

fi in familia fæculari prædicationis, & laudis fuit nafci Patritium, multò tamen majoris gloriæ, & honoris extitit, fieri in veræ fidei confeffione generofum; ità enim apud illuftriffimos ipfius parentes recurrit, & commeavit Divina dignatio, ut & illorum excellentiam dignitas filii extolleret, & hujus gloriam fublimitas generis illuftraret; licèt beatiores habendi fuerint illi de pofteritate tam clara, quàm ifte de origine gloriofa. Hìc igitur, quem ad magna peragenda provocavit familiæ dignitas, & generofa nobilitas, verus, & fpiritalis Dei miles, dùm Diabolum Chrifti confeffione proftravit, palmas à Domino, & coronas illuftri paffione promeritus eft; *In Act. S. Sebaftiani apud Sur. die 20. Jan tom. I.* fub Fabiano fiquidem Judice, invicto animo innumeris tormentorum occurrens generibus, quidquid iniquus ille reperit ad pœnam, totum ipfe convertit in gloriam, & in honorem fui commutavit triumphi omnia inftrumenta fupplicii, ac capite tandem plexus, gloriofum fepulcrum in terris, æternam gloriam eft adeptus in Cælis.

Locus, in quo nobilis hìc Redemptoris Athleta mortem fubiit, & fepulturam obtinuit, fuit *via Lavicana tertio ab Urbe milliario*, ut in Actis ejufdem legitur: *Ibidem ut fupra.* [Ductus eft igitur (eorundem Actorum
„ funt verba) *in viam Lavicanam tertio ab Urbe*
„ *milliario*, & effundens Orationem ad Dominum,
„ uno gladii ictu cæfus deceffit, & in eodem loco,
„ apparente quodam Chriftiano, fepultus eft, quo
„ in loco plurima femper beneficia præftat Chriftus

„ ſtus ad laudem Nominis ſui uſque in præſentem
„ diem].

Dictus eſt verò locus iſte, in quo Tiburtius mortuus eſt, & ſepultus, *Inter duas Lauros*, uti jàm alia Urbis loca ex arboribus ibidem conſitis ſibi vocabulum vindicarunt, ſicut ille, qui *ad Malum punicum*, alter verò, qui *ad Pyrum* nuncupabatur; de quo Martialis ad Lupercum:

Baron. in ad. not. ad Martyrolog. Rom. die 11. Aug.

Boſ Rom. ſubterr. lib 3. cap. 32.

Publ. Victor. Reg. 6.

Martial. l. 1. epigr. 118.

Non eſt, quod puerum, Luperce, vexes,
Longum eſt, ſi velit ad Pyrum *venire,*
Et ſcalis habito tribus, ſed altis.

Nec tantùm Romæ, ſed alibi etiam loca ab arboribus accepiſſe nomen, haud obſcurè docet Philippus quidam, qui Corpora SS. Gervaſii, & Protaſii rapuit, & ſepelivit, teſte Divo Ambroſio; nàm deſcribens locum, ad quem Urſicinus Medicus Ravennæ capitalem ſententiam pro Chriſti nomine ſubiturus, pertractus fuit, dicit: [Locus autem, in quo decolla-
„ bantur Chriſtiani, hoc habebat vocabulum, ut
„ diceretur *ad Palmam* (eo quod *arbores antiquæ*
„ *palmæ* illic eſſent)]; & illicò ſubjungit: [Igitur
„ cùm, ut diximus, poſt nimia tormenta decollan-
„ dus veniret *ad Palmam*, expavit &c.] Quod comprobat S. Petrus Damiani in ſermone de S. Vitale; nàm de eodem Urſicino agens: [Sicut enim,
„ ait, in ſancta geſtorum illius narratur hiſtoria,
„ cùm poſt nimia tormenta decollandus veniſſet
„ Urſicinus *ad Palmam*, expavit &c.]

D. Ambroſ. apud Sur. to. 3 die 19 Junii pag. 700.

Faber mem. hiſt. Ravenn. par. 1. p. 364.

Baſil S Vitalis Mart.

S. Petr. Dam. ſerm. 18. to. 2.

Tertio quoque ab Urbe milliario Locus *inter*

A ij *duas*

duas Lauros extabat, non quod à Romanis mœnibus *per tria milliaria* distaret, sed quia per tot sejungebatur *milliaria ab aurea Columna*, in Romano foro ad hoc erecta, ut Auctor est Plinius, à quo etiam in capite ejusdem fori collocatur. A Cornelio Tacito verò, & à Suetonio in Othone, juxtà Saturni ædem fuisse traditur; refert siquidem Tacitus, cohortem *ad aureum Milliarium* sub æde Saturni perrexisse; & Suetonius: [Ergò destinata die, „ inquit, præmonitis consciis, ut se in foro sub æde „ Saturni *ad Milliarium aureum* opperirentur, ma- „ ne Galbam salutavit]. Eam autem fuisse Saturni ædem, quam nunc S. Martyri Hadriano dicatam Ecclesiam intuemur, Lucius Faunus putavit, non procul ab Arcu Septimii, licèt alii aliter sentiant.

Plin. lib. 3. cap. 5. Tacit. de Othon lib. 3. Sueton. in Othon. Luc. Faun. de antiq. Urbis Romæ l. 2. pag. 31.

Dicebatur verò Columna illa *Milliarium aureum*, tùm quod aurata esset, tùm quod omnes nobiles Viæ Italiæ, ut asserit Plutarchus in Galba, in ea incisæ essent, & ab ea per singulas portas, ut vult Joannes Bartholomæus Marlianus, mensuræ Regionum currerent. Ab Augusto tandem *Milliarium hoc aureum* erectum fuisse refert Dio his verbis: „ [Tunc autem ipse Viarum, quæ sunt circà Ro- „ mam, Curator constitutus, *Milliarium aureum*, „ quod vocatur, fecit, quique viis muniendis præ- „ essent, Prætores viros, qui binis lictoribus uteren- „ tur, designavit].

Plutarch. in Galba. Io. Barthol. Marl. in Topograph. Urb. Romæ lib. 3. cap. 18. Dio Histor. lib. 54. p. 529.

CA-

CAPUT II.

SS. MARCELLINI *Presbyteri*, *&* PETRI *Exorcistæ Martyrium* in Sylva Nigra, *postmodùm* Candida, *unde Episcopatus* Sylvæ Candidæ, *& cur Portuensi unitus*.

SUb eàdem immanissima Diocletiani, & Maximiani Imperatorum persecutione anno Domini 302., Dei Ecclesiam gubernante Marcellino Pontifice, mortem objerunt etiam MARCELLINUS Presbyter, & PETRUS Exorcista, qui post dira vincula, & plurima tormenta decollati sunt in loco, qui *Sylva Nigra* dicebatur, & postmodùm in honorem Sanctorum commutato nomine *Sylva Candida* appellatus est. Hic in Via Aurelia ab Urbe Roma decem milliaribus distans statuitur, & ex nobili jàm Civitate modò rustica evasit Casa *Sanctæ Rufinæ* nuncupata, Archihospitalis S. Spiritus in Saxia. Sanctarum etiam *Rufinæ*, & *Secundæ* sororum hæc *Sylva Candida* nomine insignita est, quia nempè hæ duæ Virgines à sponsis insimulatæ, quòd Christi Fidei nomen dedissent, ibidem sub Junio Donato Romano Præfecto pro Christo necatæ fuerunt anno Domini 260.; deindè cùm ex odio Christianæ Religionis, pro qua mortem subjerant, projecta earum Corpora diù inhumata jacuissent, ipsæ per somnum Plautillam loci

Baron. anno eodem.

Ex Ughell. Italia Sacra to. 1. Episcop. Sylvæ Candidæ, & Portuen.

Brev. Rom. die 10. Julii.

loci Dominam hortatæ ſunt, ut Chriſtianam legem amplecteretur, ipſarumque Corpora tumulo conderet. Expergefacta illa, mandatis parens non tantùm ſacra Corpora ſepulcro compoſuit, ſed etiam peramplum eisdem Templum erexit; quapropter ob ſacras Reliquias, locique venerationem concurrentibus undequaque Fidelibus, populorum frequentia nemoroſam illam oram adeo celebrem reddidit, ut Summi Romani Pontifices ibidem *Sylvæ Candidæ*, ſeu *Sanctarum Rufinæ*, *&* *Secundæ* Epiſcopatum conſtituerint, ipſiusque Eccleſiæ Præſulem, ſecundo loco, inter ſeptem Cardinales Epiſcopos ſibi miniſtrare voluerint.

Ex frequenti tamen Barbarorum incurſione, Incolis ex ædibus deturbatis, Urbs iſta dejecta eſt; quapropter Calixtus II. anno Dñi 1120. *Sylvæ Candidæ*, *ſeu SS. Rufinæ*, *&* *Secundæ* Epiſcopalem Cathedram Portuenſi providè conjunxit, & ex duabus unam effecit, unius Eccleſiæ privilegiis alteri communicatis. At quia earum ſingulis ſinguli jàm præpoſiti Epiſcopi ſacro Lateranenſi Altari miniſtrare conſueverant, ità deinceps, tanquam eſſet in una Eccleſia ordinatus Epiſcopus, hunc Portuenſem, & *Sylvæ Candidæ* eidem Altari in ordine vicis ſuæ inſervire mandavit.

Hanc poſteà à Calixto factam unionem Hadrianus IV., & Gregorius IX. Romani Pontifices comprobarunt; & ex ea meritò primum Cardinalem Epiſcopum (poſt Oſtienſem) vel Portuenſem, vel *Sylvæ Candidæ*, vel *SS. Rufinæ*, *&* *Secundæ* indiſtinctè nuncupandi mos inolevit.

CA-

CAPUT III.

Corporum SS. MARCELLINI, *&* PETRI *Translatio è* Sylva Candida, *ad S. Tiburtium*, inter duas Lauros via Lavicana.

EA verò fuerat mens Ethnicis perſecutoribus, cùm MARCELLINUM, & PETRUM extrà Urbem ad *Sylvam Nigram* occidendos impellerent, ut religioſos Fideles ſceleris ignaros, Sanctorum quoque lateret ſepulcrum; quapropter in medio eo nemore illos & ſecuri percuſſerunt, & ignobiliter terræ mandarunt; fruſtrà tamen, ut diximus, dùm *Sylvæ Nigræ* ex eorum Martyrio celebre nomen *Sylvæ Candidæ* inditum eſt, & alibi ipſimet præſtantiùs ſacris Corporibus ſuis deſignavere ſepulcrum, ut ex eorum Actis ſic colligitur: [Per id „ tempus Lucilla, & Firmina Chriſtianiſſimæ fœ- „ minæ propinquæ S. Tiburtii Martyris, cujus nobi- „ litas inter Senatores inſignis fuit in terris, & inter „ Martyres illuſtrior eſt in Cælis, amore B. Marty- „ ris à ſepulcro ejus non recedebant, ſed conſtructo „ illic cubiculo, die, noctuque ibi permanebant. Eis „ ergò in viſu apparuit S. Tiburtius cum his duobus „ Martyribus, edocuitque eas, quemadmodùm Cor- „ pora eorum è *Nigra Sylva* aſportata, juxtà ipſum „ *in parte inferiori in crypta* ſepelire deberent. „ Fuerunt autem eis adjutorio Acolyti duo Eccleſiæ Ro-

Apud Sur. tom. 3 die 2. Junii.

„ Romanæ. Hæc omnia Damafus, cùm Lector ef-
„ fet, puerulus didicit ab eo, qui eos decollaverat,
„ & Dorotheus vocabatur, & posteà factus Epifco-
„ pus in eorum fepulcro his verficulis limina deco-
„ ravit:

Carm. S. Damafi car. 12.

[MARCELLINE *tuos, pariter* PETRE, *nofce triumphos,*
Percuffor retulit Damafo mihi, cùm puer effem,
Hæc fibi Carnificem rabidum mandata dediffe,
Sentibus in mediis veftra ut tunc colla fecaret,
Ne tumulum veftrum quisquam cognofcere poffet,
Vos alacres veftris manibus fodiffe fepulcra,
Candidulo occultè poftquam jacuiftis in antro,
Pofteà commonitam veftra pietate Lucillam
His placuiffe magis fanctiffima condere membra.]

Idipfum confirmat alia eorundem BB. Martyrum Hiftoria Jambico carmine, licèt non admodùm expolito, exarata à quodam Anonymo, quæ Surio Einhardi, feu Eginhardi opus vifa eft; dicit enim:

Sur. Vit. SS. tom 7 fub die 2. Junii.

[*Duæ quædam referuntur Romæ natæ fœminæ,*
Una dicta eft Lucilla, Firminaque altera,
Veram puris retinentes Chrifti Fidem cordibus,
Quæ propinquæ ter Beati Martyris Tiburtii,
Ad illius facrofanctum affidentes tumulum,
Deo gratas vigilando ducebant excubias.
Quibus ipfe cum Beatis femet comitantibus
MARCELLINO, *atque* PETRO *manifeftè retulit*
Per foporem, ubi facra jacuiffent Corpora
Eorundem Electorum; atque fimùl admonet,
Ut euntes absque mora, illa ftatim afferant,

Et in

Et in crypta ſuum propè curent Corpus ponere,
Quæ præceptis obſequentes, Nigrã Sylvam *adeunt*;
Sublatosque Beatorum indè portant Cineres,
Et in ſpecu deponentes, juſſo loco tumulant.
Quas ad iſta peragenda adjuviſſe referunt
Duos quosdam de ſacratæ Sedis Apoſtolicæ
Clericis, quos Ordo ſacer nominat Acolytos.
Hæc ut geſta referuntur, retuliſſe aſſerunt
Illum ipſum, qui eosdem interemit Martyres;
Et ab illo didiciſſe Damaſum Pontificem,
Cùm ætate puerili per eadem tempora
Sub Magiſtro miniſtraret, & ad magnũ creſceret
Rerum culmen, tunc Romanæ Lector in Eccleſia,
Poſt hæc cuncta memoraſſe, ac mandaſſe litteris,
Cùm illius almæ Sedis obtineret apicem,
Et in tota principatu polleret Eccleſia.]

Hoc ſanè modo *è Sylva Nigra* ad S. Tiburtium *inter duas Lauros Via Lavicana* SS. MARCELLINI, & PETRI Corpora delata fuere. Ejusmodi autem recolendam Translationem in MSS. Cod. Vaticanis, & Vallicellanis eveniſſe legimus IV. nonas Junias; ab Adone verò ad V. kal. Septembris rejicitur, & quidem probabiliùs, inquiunt Boſius, Severanus, & Aringhius; IV. enim nonas Junias natalitius Martyrum, non Corporum ipſorum translationis dies extitit. In ipſomet verò loco quamplurimæ aliæ SS. Reliquiæ ſepulturæ etiam demandatæ fuerunt, immò ibi in triginta Martyres, quorum celebratur memoria XI. kalen. Januarias, ſecuri animadverſum eſt, iidem-

MSS. Cod. Vatican. 89. Vallicell. 1.

Boſius Rom. Subter. lib. 3. cap. 32. Ibid. Sever. Aringhius Rom. Subter. lib. 4. cap. 4. tom. 2. Martyrolog. Roman. Martyrolog. Adon.

Ufuard. in Martyr.
Petr. in Catalog. lib. 1. cap. 81.
Ferrar. de Sanct. Ital. Decemb. 23.

iidemque fepulcro traditi perhibentur; & ibidem Bofius tumulatas quoque fuiffe credit SS. fœminas Lucillam, & Firminam, quæ facras noftrorum Martyrum exuvias illùc tranftulere. Inter Fideles iccircò pietatis, & religionis causâ locus celeberrimus fuit, & licèt Via Latina locum alterum plurimorum Martyrum triumpho infignitum, inter duas Lauros dictum, extitiffe Scriptores contendant, tamen præ illo noftrum Chriftianorum frequentia, & veneratione gloriofiorem redditum, quæ mox dicenda erunt, facilè oftendent.

Bof. ut fup.
Aringh. ut fupr. & lib 4. cap. 6. tom. 2.

CAPUT IV.

Conftantinus Magnus Bafilicam *SS.* Marcellini, *&* Petri, *&* Maufoleum Helenæ *matri fuæ* Via Lavicana *ædificat. De his nonnullæ proponuntur dubitationes.*

CUm Conftantinus Magnus, fufceptis Romani Imperii habenis, Ethnicæ vetuftatis depofuiffet errores, Chriftianumque hominem induiffet, inter cætera Religionis argumenta, quibus fidem fuam operibus teftari voluit, illud præclariffimum fuit, in honorem Dei, Sanctorumque memoriam Templa, & Bafilicas ubique terrarum excitaffe. Inter has verò illuftris fuit *Bafilica* SS. Mart. Marcellini, & Petri, quam in eo, quem diximus, loco, ubi eorum facra Corpora tumulata fuerant, *inter duas Lau-*

Lauros; *tertio ab Urbe milliario*, *Via Lavicana*, extrui fecit, de qua hæc refert Anastasius Bibliothecarius: [Eisdem temporibus Augustus Constantinus „ fecit *Basilicam BB. Martyribus* MARCELLINO „ *Presbytero*, & PETRO *Exorcistæ inter duas Lau-* „ *ros*, & *Mausoleum*, *ubi B. Mater ipsius se-* „ *pulta est Helena Augusta in sarcophago porphy-* „ *retico Via Lavicana*, *milliario ab Urbe Roma* „ *tertio*]. *Anastas. Bibliothec. Vita Pontific. in Sylv. I.*

Idipsum & recentiores confirmant, quorum unum tantùm producere sufficiat, scilicèt Joannem Franciscum Bordinum, Archiepiscopum Avenionensem, qui de Basilicis à Magno Constantino constructis agens, ità loquitur: [*Sic Beatissimis* MAR- „ CELLINO, & PETRO *aliam* (subintellige Basilicam) „ *construendam curavit Via Lavicana inter duas* „ *Lauros*, iisdem muneribus abundanter locuple- „ tatam]. *Jo. Franc. Bordin. Vita Pontific. in Sylv. I.*

At cùm eodem loco, in quo hæc *Basilica* extructa fuit, & in quo Corpora SS. MARCELLINI, & PETRI condita fuere, quiesceret etiam Corpus S. Martyris Tiburtii, cùmque Constantinus excitaverit *Mausoleum*, in quo mater ejus *Helena* Augusta sepulta fuit, & demùm, cùm alia in honorem eorundem Martyrum intrà Urbis mœnia, propè Lateranum ædificata reperiatur *Basilica*, hinc dubitatur:

Primò, an *Basilica* S. Tiburtii, quæ ibidem etiam extitisse legitur, fuerit una, eademque cum Constantiniana nostra SS. MARCELLINI, & PETRI.

Secundò, an *Mausoleum* in eodem loco ab ipsomet Constantino in sepulturam *Helenæ* matris suæ erectum, distinctum fuerit à præfata SS. MARCELLINI, & PETRI *Basilica*, vel potiùs in eàdem collocatum, ut nonnullis videtur.

Tertiò, an eadem fuerit SS. MARCELLINI, & PETRI *Ecclesia propè Lateranum* cum Constantiniana, de qua loquimur, vel potiùs alia ab ipsa; ideòque an magnifica, & gloriosa, quæ de ista recensentur, illi congruere possint. Quas omnes ambiguitates dùm solvere nitemur, hujusmet dignitatem, & gloriam è latebris eruere pro viribus conabimur.

CAPUT V.

Aliam non fuisse à Constantiniana SS. MARCELLINI, *&* PETRI, Basilicam *S. Tiburtii* Via Lavicana *ostenditur*.

BAsilicam Constantinianam in honorem Sanctorum MARCELLINI, & PETRI *in Via Lavicana* constructam, distinctam extitisse ab ea Sancto Martyri Tiburtio dicata, nonnulli existimant, & colligi posse credunt ab Einhardo, seu Eginhardo, Caroli Magni Imperatoris Cancellario, qui in Opere, quod luculenter scripsit de Translatione SS. Martyrum MARCELLINI, & PETRI in Gallias, non semèl id innuere videtur; dicit enim: [Itàque invento, at-
„ que conducto Duce, (sermo est de Hildoino, & Sociis;

Eginhard. de Translat. SS. Marcellini, & Petri lib. 1.

„ Sociis, qui BB. Martyrum reliquias in Gallias
„ transtulerunt) locorumque monstratore, primò *Ibid. cap 6.*
„ *ad Basilicam B. Tiburtii Martyris in Via Lavi-*
„ *cana, tribus ab Urbe passuum millibus distante*
„ veniunt, Martyrisque tumbam, quanta possunt
„ diligentia, contemplantur, & utrum sic, ut alii
„ non sentirent, aperiri posset, cauta circumspectio-
„ ne considerant]; & infrà: [Tunc peracto jejunio *Ibid. cap 7.*
„ triduano, noctu ad locum, nullo Romanorum
„ Civium sentiente, perveniunt, ingressique *Basi-*
„ *licam Sancti Tiburtii*, primo mane Altare illud,
„ sub quo sacrum ejus Corpus situm credebatur,
„ aperire tentarunt. Sed parum successit eorum
„ voluntati molitio operis inchoati: nàm monu-
„ mentum durissimo marmore extructum, inermes
„ id aperire conantium manus facilè repellebat];
& inferiùs: [Vocatoque ad se Comite suo Hildoini *Ibid. ut su-*
„ Presbytero, cœpit cum eo tractare, ut iterùm *pra cap. 8.*
„ *ad Basilicam B. Tiburtii*, sicut priùs fecerant,
„ clanculò pergerent, ac tumbam, qua Martyris
„ Corpus reconditum credebatur, aperire denuò
„ molirentur]; & paulò post: [Divisisque Sociis *Ibid. ut su-*
„ inter se, Presbyter ad Corpus Beati Tiburtii quæ- *pra cap. 9.*
„ rendum *in ipsius Basilica*, cum aliquibus reman-
„ sit, &c.] Ex quibus omnibus non obscurè colligi
posse videtur, singularem *Basilicam eàdem Via La-*
vicana Sanctum Tiburtium obtinuisse.

Verùm *unam tantùm Basilicam* tribus Marty-
ribus Marcellino, Petro, & Tiburtio fuisse com-
munem;

munem, longè graviora suadent; & primò ea, quæ supra retulimus de translatione Corporum SS. MARCELLINI, & PETRI *è Sylva Nigra ad Viam Lavicanam*, facta à religiosis fœminis Lucilla, & Firmina. Hæ siquidem admonitæ tùm à Tiburtio, tùm à MARCELLINO, & PETRO, ut non alibi, quàm juxtà ipsum Tiburtium *in parte inferiori in crypta* sacra eorundem Corpora sepelirent, id exactissimè præstiterunt, ut habetur ex allatis Carminibus, à Fr. Laurentio Surio, eidem, ut diximus, Eginhardo adscriptis, in quibus inter alia notatu digna hæc recitantur:

Sur. in vita SS. Marcellini, & Petri die 2. Junii.

Sur. tom. 7. in addit. ad diem 2. Jun.

[*Quibus ipse cum Beatis semet comitantibus*
MARCELLINO, *atque* PETRO *manifestè retulit*
Per soporem, ubi sacra jacuissent Corpora
Eorundem Electorum, atque simul admonet
Ut euntes absque mora, illa statim auferant,
Et in crypta suum propè curent Corpus ponere.
Quæ præceptis obsequentes Nigrã Sylvam *adeunt*,
Sublatosque Beatorum indè portant Cineres,
Et in specu deponentes, jussu loco tumulant.]

Ex quibus ratum habetur, non alibi, quàm in eàdem crypta, in qua requiescebat Tiburtius, MARCELLINI, & PETRI Corpora quoque tumulata fuisse. Quapropter cum non constet de alia ipsorum Martyrum translatione, fateri absque dubio necessè est, quod sicut communem habuerunt *cryptam*, ita etiam communem habuerint *Basilicam*, eidem *cryptæ* à Constantino superimpositam; piissimum enim Principem non alibi, quàm supra *cryptam* illam, in qua

sacra

ſacra Corpora MARCELLINI, & PETRI condita ſervabantur, *Baſilicam* in ipſorum honorem ædificaſſe, apertè teſtatur præfatus Bibliothecarius, dùm ampliſſima enumerans munera, quibus ipſam proſecutus eſt, dicit: [Item *in Baſilica SS.* PETRI, *&* MARCELLINI donum, quod dedit, tale eſt: Altare argenteum puriſſimum, penſans libras ducentas; Patenas aureas puriſſimas duas, penſantes ſingulas libras quindecim; ſcyphum aureum majorem, penſantem libras viginti, ubi nomen Auguſtæ deſignatur; ſcyphos argenteos quinque, penſantes ſingulos libras duodecim; Calices miniſteriales argenteos viginti, penſantes ſingulos libras tres; Amas argenteas quatuor, penſantes ſingulas libras quindecim; Annis ſingulis olei nardi piſtici libras noningentas; Balſami libras centum, aromata, Incenſum *antè Corpora SS.* MARCELLINI, *&* PETRI libras centum, *&c.*] *Ibid. ut ſupra.*

Nec obſtat, quod enarratur in præfatis Actis Translationis Corporum MARCELLINI, & PETRI in Gallias; nàm in ipſis poſtquam recitata ſunt, quæ ſupra retulimus, nempè: [Itàque invento, atque conducto Duce, locorumque monſtratore, primò *ad Baſilicam Beati Tiburtii Martyris Via Lavicana, tribus ab Urbe paſſuum millibus diſtante,* veniunt, Martyriſque tumbam, quanta poſſunt diligentia, contemplantur, & utrum ſic, ut alii non ſentirent, aperiri poſſet, cauta circumſpectione conſiderant] ſtatim additur: [Deindè *in* *Eginhard. ut ſupra cap. 6.*

cryp-

„ *cryptam eidem Basilicæ contiguam*, *in qua Beatorum Christi Martyrum* Marcellini, & Petri „ *Corpora erant tumulata*, descendunt, atque ex„ plorata etiam illius monumenti qualitate, &c.] In quibus verbis animadvertendum est, unam tantùm *Basilicam* Eginhardum memorasse, quam licèt non Marcellino, & Petro, sed Tiburtio tribuerit, *cryptam* tamen juxtà ipsam fuisse fatetur, in qua etiam duo primi Martyres requiescebant, immò ad illam non aliundè descendebatur, quàm è Tiburtii *Basilica*; quod certè non fuisset, si singularem Marcellinus, & Petrus à Tiburtio sejunctam obtinuissent *Basilicam*; nàm tunc potiùs è *Basilica* eorum ad ipsorummet *cryptam* descendere oportuisset, quia super eam fuisset constructa.

Quod ut clariùs appareat, notandum est, quod præfata *crypta* eidem *Basilicæ* conjuncta, quæ Beatorum Martyrum sepulcro decorabatur, ut innuimus, à Tiburtii *crypta* non erat distincta, sed erat tantùm pars illius inferior, quam nos aptiori vocabulo, *cryptæ cubiculum*, nuncupamus, ut è supradeductis Actis primæ translationis à Lucilla, & Firmina factæ evidenter elicitur; in iis enim legitur: „ [Quod Corpora eorum *è Nigra Sylva* asportata „ juxtà ipsum *in parte inferiori in crypta* sepelire „ deberent, &c.] Quapropter cùm legenda occurrerit *crypta* Marcellini, & Petri, & *crypta* Tiburtii, istæ non plures, sed una tantùm censenda est, licet variis *cubiculis* divisa, in quorum superiori Tibur-

Vid. ut supra Cap. 3.

burtius, in inferiori verò MARCELLINUS, & PETRUS conditi erant; & rursùs cùm legendum occurrerit in allatis Carminibus, unam tantùm *cryptam* tres Martyres habuisse communem:

[*Et in* crypta *suum propè curent Corpus ponere.*] *Ut supra.* existimandum est quidem tria Sanctorum Corpora in eàdem *crypta*, non tamen in eodem *cryptæ* jacuisse *cubiculo*, sed in distinctis, cùm Tiburtii Corpus in superiori parte, MARCELLINI verò, & PETRI reliquiæ in inferiori asservarentur: quod elicitur insuper ex inferiùs positis Eginhardi verbis; postquam enim retulit (monumentum Tiburtii durissimo marmore extructum inermes id aperire conantium manus facilè repulisse) subjunxit statìm: [Igitur omisso illius *Eginhard. cap. 7.*
„ Martyris sepulcro, *ad tumbam BB.* MARCEL-
„ LINI, *&* PETRI *descendunt*, *&c.*] Quò ostenderet, non in alia *crypta* ab ea Tiburtii, sed tantùm in parte inferiori ejusdem, MARCELLINI, & PETRI Corpora requievisse; ex quo etiam, ut supra, deducitur, quod sicut una fuit tribus Martyribus *crypta*, ità etiam una extitit eidem superædificata *Basilica*.

Cur verò *Basilica* ista Constantiniana in honorem MARCELLINI, & PETRI excitata, Tiburtii quoque nomen assumpserit, ipsemet Eginhardus his verbis aperit: [Cùmque ad locum ventum esset, *Idem cap. 9.*
„ votis pro re prosperanda antè ædis januam factis,
„ ingrediuntur, divisisque Sociis inter se, Presbyter
„ ad Corpus Beati Tiburtii quærendum *in ipsius*
„ *Basilica* cum aliquibus remansit, Ratleicus cum

„ reliquis *in adhærentem eidem Basilicæ cryptam* „ *ad Beati* Petri *Corpus accessit*, apertoque sine „ ulla difficultate sepulcro, sacra Sancti Martyris „ membra, nullo prohibente, sustulit, & serico „ pulvino, quem ad hoc paraverat, recepta dili- „ genter inclusit. Interea Presbyter, qui Corpus „ Beati Tiburtii quærebat, magno labore frustrà „ consumpto, postquam se vidit nihil posse profi- „ cere, relicto opere, *in cryptam* ad Ratleicum de- „ scendit, & quid sibi faciendum esset, ab eo quæ- „ rere cœpit; cui cùm ille arbitrari se diceret, quod „ Sancti Tiburtii reliquiæ essent inventæ, eique id, „ de quo dicebat, ostenderet: nàm paulò antequàm „ idem Presbyter ad eum *in cryptam venisset*, *re-* „ *perit in eodem sepulcro*, *in quo SS.* Marcel- „ lini, & Petri *Corpora jacuerunt*, *foramen* „ *quoddam rotundi schematis*, *trium fermè pedum* „ *longitudine introrsus excavatum*, *pedali ampli-* „ *tudine patens*, & *in eo minuti pulveris non* „ *modicam portionem repositam*; visum est am- „ bobus, quod hic pulvis de Corpore B. Tiburtii, „ ossibus indè sublatis, remanere potuisset, & ob „ hoc, ut difficiliùs inveniretur, medio loco inter „ BB. Marcellinum, & Petrum in eàdem tumba „ fuisset repositus, convenitque inter eos, ut eum „ Presbyter sumeret, & pro Reliquiis B. Tiburtii „ secùm deferret].

Ex his licet ambiguis, & dubiis aliquid proba- biliter verum nihilominus deprehenditur: Primò, multo-

multoties translatum fuisse Tiburtii Corpus, nempè *à cubiculo superiori cryptæ*, in quo, ut toties diximus, conditum fuerat, *in inferius*, in quo illa MARCELLINI, & PETRI tumulata colebantur, nè fortè ab aliquo raperetur; cujus assertionis non leve indicium est, præfatos detectores, & indagatores vel foramen illud absconditum in eorundem Martyrum monumento, vel in ipso foramine cineres Martyris reperisse. Secundò, S. Tiburtii Reliquias rursùs hinc traductas fuisse in SS. MARCELLINI, & PETRI *Basilicam* à Constantino fundatam, & in marmoreo illo sepulcro collocatas, quod inermes illud aperire conantium manus facilè repulit, ut ab Eginhardo didicimus. Et hanc postremam Corporis S. Tiburtii translationem *Basilicæ SS.* MARCELLINI, *&* PETRI *nomen* deindè imposuisse non immeritò arbitramur, ob id videlicet, quòd in ea potissimùm ejusdem Martyris Reliquias venerari liceret.

Cæterùm unam tantùm extitisse tribus Martyribus communem *Basilicam*, egregii quoque Scriptores testantur, quorum sat erit duo solum testimonia proferre. Primum in Vitis Pontificum apud Anastasium invenitur; nàm ipse in Hadriano I. sic loquitur: [Cœmeterium item BB. PETRI, & MARCELLINI *Via Lavicana juxtà Basilicam B. Helenæ* renovavit, *& tectum ejus*, idest Sancti Tiburtii, *& eorundem SS.* PETRI, *&* MARCELLINI noviter fecit, & gradus ejus, qui descendunt ad eorum SS. Corpora, noviter fecit, quoniam nullus erat *Anastas. Bibliotb. in vita Hadr. I.*

jàm

„ jàm defcenfus ad ipfa Sanctiffima Corpora].

Secundum huic fimile eft Eminentifs. Cæfaris Card. Baronii, qui fub anno Domini 826. de præfata agens translatione Corporum SS. MARCELLINI, & PETRI in Gallias, hæc profert: [Quæ oftenfa eft „ divinitùs *Bafilica*, ob fui amplitudinem, & altitudinem longiùs etiam perfpicua, erat opus Conftantini Magni, *rotundo fchemate concamerato* „ defuper fabricata, *SS.* MARCELLINI, *&* PETRI *nomine nuncupata*, aliter S. Tiburtii]. Sic pro noftra fententia Baronius.

Baron. to. 9. anno Domini 826.

Notandum autem obiter eft, quod ex allatis ab Eginhardo de translatione Corporum SS. MARCELLINI, & PETRI in Gallias defumi nequit, illùc Sancti Tiburtii quoque Corpus, ut putavit nofter Joannes Severanus, afportatum fuiffe; cùm enim conftet, fublatores Corporum MARCELLINI, & PETRI illud Tiburtii eripere nequiviffe, eo quod marmoreum fepulcrum, in quo conditum fuerat, nulla vi potuerint aperire, quomodò unà cum ipfis Corporibus MARCELLINI, & PETRI, Corpus idem Tiburtii abreptum, & in Gallias delatum exiftimabimus? Hoc forfitan intelligi poffet de pulveribus in monumento MARCELLINI, & PETRI feorfim in foramine repertis, cùm mos fuerit Reliquiarum particulas Corporum etiam nomine nuncupandi, ut obfervat nofter Aringhius; fed cùm eæ fuerint dubiæ, & incertæ, ut ab eodem Eginhardo didicimus, confequens eft, ut quæ de illarum identitate dici poffunt, exco-

Jo. Sever. de fept. Urb. Eccl. à Sancta Cruce in Hierufal. ad S. Laurent. via Lavican. pag. 640.

Aring. lib. 4. cap. 9. tom. 2.

excogitata sint potiùs, quàm vera. Veriora igitur habenda sunt, quæ Anastasius Bibliothecarius in Vitis Pont. tradit; nàm in Gregorio hujus nominis IV., ejusdem Pontificis gesta complectens, hæc refert: [Et quoniam tunc Divino ignis amore suc- *Anastas. Biblioth. in vita Greg. IV. sub anno Christi 827.*
„ census, Corpus Beati Gregorii hujus Universalis
„ Ecclesiæ Præsulis, per quem S. Spiritus gratia toto
„ Orbe terrarum inextinguibile Sapientiæ munus
„ induxit, ex loco, sepultus quo priùs fuerat, tulit,
„ & non longè ab eo in alium noviter constructum,
„ infrà Ecclesiam Beati Petri Apostoli summo ho-
„ nore perduxit, ejusque sacrum Altare argenteis
„ tabulis undique perornavit, & Oratorium suo
„ sancto Nomini titulavit, Absidamque ejusdem
„ super aurato musivo depinxit. In quo scilicet Ora-
„ torio SS. Corpora BB. Martyrum Sebastiani,
„ Gorgonii, ac Tiburtii *ex cœmeteriis, in quibus*
„ *antè jacebant, perduxit*]. Ex his igitur apparet, S. Tiburtii Corpus non in Gallias, sed in Basilicam S. Petri delatum fuisse; & fortè clandestina subreptio Corporum SS. Marcellini, & Petri à Gallis facta Summum illum Pontificem impulit, ut è suburbanis locis insigniora SS. Corpora in Urbem transferri curaret, nè videlicet & ipsa, uti nuper ea Marcellini, & Petri, furto auferrentur. Quæ non levis momenti conjectura optimè congruit tempori, quo & Marcellini, & Petri in Gallias, & Gorgonii, Sebastiani, & Tiburtii Reliquiæ in Urbem deductæ sunt; nàm anno Dñi 826. Marcellini, & Petri trans- *Baron. anno 826. tom. 9.*

translatio recensetur, & sequenti 827., vel circiter Tiburtii, Sebastiani, & Gorgonii Reliquiæ in Urbem à Gregorio delatæ fuerunt. Quam translationem Petrus Manlius quoque ferè iisdem Bibliothecarii verbis apud Eminentiss. ac Reverendiss. Dnum JOSEPHUM Cardinalem IMPERIALEM in MS. Cod., cui Titulus *de Basilica Vaticana*, ubi egit de Gregorio Papa IV., sic retulit: [Hic igne Divini amoris
„ succensus Corpus Beati Gregorii Papæ I. egregii
„ Doctoris de loco, in quo priùs sepultus fuit, ab-
„ stulit, & non longè ab eo in alium locum noviter
„ constructum intrà Ecclesiam Beati Petri Apostoli
„ summo honore perduxit, ejusque sacrum Altare,
„ vel potiùs Oratorium suo Nomine titulavit, in
„ quo nimirùm Oratorio Sanctissima Corpora Bea-
„ torum Martyrum Sebastiani, Gorgonii, & Ti-
„ burtii filii Chromatii Præfecti *ex Cœmeteriis,*
„ *quibus antè jacuerant*, sicut in Pontificali legi-
„ tur, *honorificè perduxit, & unumquodque eorum*
„ *separatis Altaribus collocavit*]. Idcircò quæ Andreas dù Chesne tom. 2. Histor. Francorum in vita Ludovici Pii sub anno 826. scripta ab incerto Auctore affert de translatione Corporis S. Sebastiani in Gallias, facta precibus Hildoini Abbatis, prorsùs etiam reiicienda cognoscuntur, nisi intelligenda sint tantùm de aliquibus ipsius Martyris Reliquiis; nàm si anno præfato 826. ab Eugenio II. Pontifice Hildoinus, ut supponitur, Corpus idem obtinuisset, sequenti anno Gregorius IV., qui Eugenio successit, nullo

Petrus Manlius MS. Cod. Biblioth. Card. Imperialis.

Andr. dù Chesne to. 2. Histor. Francor. in vita Ludovici Pii sub ann 826.

nullo modo ipsum in Vaticanam Basilicam deferre potuisset.

De variis verò Translationibus Corporum SS. MARCELLINI, & PETRI tractat Tillemontius in suis Memoriis Ecclesiasticæ Historiæ inservientibus tom. 5. pag. 199. edit. anno 1702., quare ipsum consulas.

Tillemont. Memor. Histor. tom. 5. pag. 199.

CAPUT VI.

Distinctam fuisse à Mausoleo Helenæ Via Lavicana, Basilicam *Constantinianam SS.* MARCELLINI, & PETRI *statuitur*.

NOnnulli insuper *SS.* MARCELLINI, & PETRI *Basilicam* à Magno Constantino constructam, eandem esse ac *Mausoleum* ab ipso Principe piissimæ *matri suæ Helenæ* excitatum, arbitrati sunt, inter quos præcipuus fuit Cæsar Cardinalis Baronius, qui supra allatis verbis hoc innuere videtur, dùm dicit, *Basilicam* per visionem manifestatam ei, qui Corpora SS. MARCELLINI, & PETRI in Galliam transtulit, *fuisse rotundo schemate concamerato desuper fabricatam*, quale est etiam hodie, ut ostendetur, quod *Helenæ* credimus, *Mausoleum*. Et expressiùs in Adnot. Rom. Martyrol. ad diem 2. Junii inquit: [In honorem præterea eorundem, „ (nempè MARCELLINI, & PETRI) Constantinus „ Imperator erexit *Basilicam Via Lavicana*, quam &

Ut supra cap. præced.

Martyrolog. Rom. 2. Jun.

„ & muneribus exornavit, ac redditibus locuple-
„ tavit, *ibique Sanctæ Helenæ matris Corpus sepe-*
„ *liendum curavit*].

Anton. Bos. Rom. subter.

Ejusdem etiam sententiæ Antonius Bosius, & Paulus Aringhius nostræ Congregationis Presbyter fuere, & ideò Aringhius sic loquitur: [Ibi postmo-

Paul. Aring. Rom. Subter. lib 4 cap. 9.

„ dùm, nempè *inter duas Lauros*, in SS. Marty-
„ rum Marcellini, & Petri honorem Constan-
„ tinus Magnus Imperator nobilem à fundamentis
„ *Ecclesiam* erexit, in qua *Helena* piissima ejusdem
„ mater *intrà porphyreticam urnam* condita fuit,
„ ut in Martyrol. Rom. xv. kalen. Septembris,
„ & prolixiùs in MSS. ejusdem *Helenæ* Actis Cod.
„ Later. & S. Petri]; & infrà: [Constans igitur

Idem lib. 4. cap. 14. p. 48. tom. 2.

„ omnium sententia est, *Templum* hoc ipsummet
„ fuisse, quod à Constantino Magno in honorem
„ SS. Marcellini, & Petri erectum longa post in-
„ terlapsa annorum curricula, *Beatæ* etiam *Helenæ*
„ titulo eam potissimùm ob causam appellari con-
„ tigit, quod Sanctissimæ ibidem Fœminæ Corpus
„ *in urna illa porphyretica* decenti honore condi-
„ tum fuerit, uti jàm supra ostendimus; ni fortè alia
„ suffulti ratione *perantiquam* B. Tiburtii *Eccle-*
„ *siam huic proximam*, *cujus nonnulla adhùc ve-*
„ *stigia extant*, *Sanctæ* item *Helenæ* titulo nuncu-
„ patam fuisse asseramus, ut Bibliothecarius, &c.]
Sic Aringhius, qui hanc suam sententiam pluribus tueri conatur, quæ infrà ponenda erunt.

Nos verò, quia locum, qua potuimus, dili-

gentia perlustravimus, aliter opinari cogimur, nec in illorum, quos prænotavimus, licet eruditissimorum hominum sententiam venire possumus. Causam autem, quæ unum, & idem censere *Mausoleum Helenæ*, & Marcellini, & Petri *Basilicam* Bosium, & Aringhium impulit, eam potissimùm fuisse existimamus, quod distinctam à Marcellini, & Petri, *Basilicam* Tiburtii statuerint; quapropter cùm *Basilicæ*, Tiburtii nomine nuncupatæ, fragmentum conspicerent, & item aliud *Mausolei Helenæ* intuerentur, nullo in eodem loco alterius Basilicæ vestigio superstite, & cùm alioquin pro comperto haberent, Marcellino, & Petro à Constantino erectam *Basilicam*; SS. ipsis Martyribus *Mausoleum Helenæ* potiùs, quàm Tiburtii dicatam *Basilicam* excogitarunt. Quæ nimirùm sententia facilè reiicienda est, & præcipuè ex antiquorum Scriptorum auctoritate, utpotè qui ab *Helenæ Mausoleo* semper sejunctam Petri, & Marcellini *Basilicam* judicarunt.

Anastasius enim Bibliothecarius in Silvestro I. „ [Eisdem temporibus, inquit, Augustus Constan- „ tinus fecit *Basilicam* BB. Martyribus Marcel- „ lino Presbytero, & Petro Exorcistæ *inter duas* „ *Lauros, & Mausoleum*, ubi Beatissima Mater „ ipsius sepulta est, &c.] *Anastas. Bibliot h in vit. Silvestri I.*

Item in Hadriano I.: [Cœmeterium item „ BB. Petri, & Marcellini *Via Lavicana, juxtà* „ *Basilicam Beatæ Helenæ* renovavit, & tectum „ ejus, &c.] In quibus verbis, ut videre est, non *Idem in vita Hadriani I.*

D solùm,

solùm, ut supra, particula *et à Basilica Mausoleum* sejungit, sed insuper ipsam Martyrum *Basilicam* ab illa *Helenæ* signantissimè distinguit alia particula *juxtà*, qua Auctor ostendit, in MARCELLINI, & PETRI *Basilica Helenæ Mausoleum* collocatum minimè fuisse. Nec obstat, quod ibi non loquatur de *Basilica*, sed de Cœmeterio; nàm ea, quæ addit, ostendunt sub nomine Cœmeterii non aliud, quàm *Basilicam* innuere voluisse; subjungit enim: [Et

Ut supra. „ tectum ejus, ideſt Sancti Tiburtii, & eorundem „ SS. PETRI, & MARCELLINI noviter fecit.] Quæ certè subterraneo Cœmeterio convenire nequeunt, quod tecti sustinendi incapax erat. Cui addas, quod de subterranei Cœmeterii restauratione inferiùs, seorsim à præfata *Basilicæ* reparatione disserit, dicens: „ [Et gradus ejus (nempè Cœmeterii) qui descen- „ dunt ad eorum SS. Corpora, noviter fecit, quo- „ niam nullus erat jam descensus ad ipsa SS. Cor- „ pora, &c.] Ex quibus verbis omnis ambigendi ansa adimitur, reparationem ab Hadriano factam Cœmeterii SS. MARCELLINI, & PETRI juxtà *S. Helenæ* Basilicam, de ipsorummet Martyrum *Basilica* esse accipiendam.

Venerabilis Beda nostram etiam assertionem fulcire videtur, cùm de Constantino verba faciens,

Beda de 6. ætate Mundi 4259. tom. 2. ait: [Item *Basilicam Via Lavicana inter duas* „ *Lauros* BB. PETRO, & MARCELLINO Martyribus, „ *&* *Mausoleum*, ubi Matrem suam posuit *in sar-* „ *cophago purpureo*.] Si enim, ut vult Aringhius,

Helenæ

Helenæ Mausoleum nil aliud fuisset, quàm ejusdem sepulcralis porphyretica urna, quid necesse fuerat Bedæ, *Mausoleum* à *sarcophago* sejungere, cùm unum, & idem essent, aut cur in *Mausoleo* locare *sarcophagum*, si hic nil aliud erat, quàm *Mausoleum*?

Aringh. ut supra.

Iisdem utitur verbis Ado Viennensis in Chronic. dicens: [Item *Basilicam via Lavicana inter* „ *duas Lauros* BB. PETRO, & MARCELLINO Marty- „ ribus, & *Mausoleum*, ubi Matrem suam posuit „ *in sarcophago purpureo*.]

Ado Vienn. in Chronic. to. 16. Bibliot. PP.

Nicephorus Calixtus *Mausoleum Helenæ* memorat, nullo tamen facto verbo de SS. MARCELLINI, & PETRI *Basilica*, cujus procul dubio meminisse debuerat, si in eadem sarcophagus illius, ut supponitur, locatus fuisset. Hæc ejus sunt verba: [Extrà „ Urbem Romanam sepulta *in Templo rotundo* „ *marmorea urna deposita*]. Et hic urnam porphyreticam à rotundi schematis *Mausoleo* distinguit.

Niceph. Calixt. Eccles. Histor. lib. 8. cap. 31.

Tandem B... Platina: [*Via etiam*, inquit, „ *Lavicana inter duas Lauros Basilicam* BB. Mar- „ tyribus MARCELLINO Presbytero, & PETRO Exor- „ cistæ ædificat; non longè verò *Mausoleum* crexit „ in honorem Matris, quam sepulcro porphyretico „ inclusit].

Platina de vitis Pont. in Silv. I.

 CA-

CAPUT VII.

Afferentium unum, & idem fuiffe Helenæ Maufoleum, & Bafilicam *SS.* Marcellini, & Petri *Argumenta folvuntur.*

Ex præfatis infignium Scriptorum auctoritatibus profectò educitur, fejunctum à Marcellini, & Petri *Bafilica Helena Maufoleum* extitiffe. Et reverà Urnæ, in quibus mortuorum cadavera condebantur, *Maufolei* nomine haud appellabantur, quia *Maufoleum* vas fepulcrale non erat, fed nobile quoddam ædificium, ad inferenda magnatum cadavera, magnifici operis fumptu extructum, in quo poftea fepulcrales Urnæ reponebantur. Nec eft, quod obiiciat Aringhius, dicens: [*Maufolei* vocabulum fæpè fæpiùs figuratè, ut mos apud „ Rhetores eft, loquendo, pro quovis fepulcri ge„ nere, quod faciem magis comptam præferat, „ ufurpatum fuiffe à præcitatis Auctoribus]. Nàm prætérquamquod rudi, & fimplici eorum ftylo Rhetoricæ iftæ figuræ nullatenùs confonant, nec planiffima eorum hiftorica narratio eas ab ipfis expetere potuit, apparet infuper, eos *ab urna porphyretica Helenæ* fpeciatìm, ut oftendimus, ipfius *Maufoleum* fecreviffe.

Spondan. de facr. Cœmet. lib. 1. par. 1. cap. 14.
Durand Ration. libro 1. cap. 5. de Cœmet.
Raynaud. Heterocl. fpirit punct. 12. tom 15.
De Maufol. vide plura apud Plin. lib. 36. c. 5., & apud Herodot. lib. 3.
Aringh. ut fupra lib. 4. cap. 14.

Majoris tamen ponderis contra nos effe videtur, quod ex Sigeberto, & MSS. Cod. Lateranen.,

&

& S. Petri producitur. Primus enim de translatione Corporis *Sanctæ Helenæ* in Gallias hæc habet: „ [*Sancta Helena* Imperatrix à suo filio Constantino Magno, primo hujus nominis Imperatore Romæ *in Ecclesia SS.* Marcellini, *&* Petri *Martyrum in Mausoleo purpureo* sepulta, in Franciam à Thaogiso Monacho transfertur, & in Diœcesi Rhemensi magna Francorum veneratione excolitur]. *Sigebert. in Chron. anno 849.*

MSS. verò Cod.: [Postquàm *Beatiss. Helena* Romam ad filium rediit, ibi plena dierum ultrà octogesimum ætatis annum, expleto vitæ suæ cursu, cum felici lætitia vi. idus Februarii, deposito carnis onere, Cælo reddidit spiritum, & sepulta est honorificè cum aromatibus *via Lavicana*, ubi dicitur *inter duas Lauros*, *milliario tertio ab Urbe*. Et in eodem loco fecit *Basilicam* SS. Martyribus Marcellino, & Petro, & ibi *in Mausoleo porphyretico* undique pretiosè sculpto, juxtà regiam excellentiam, Matrem suam sepelivit]. Sic Codices. *MSS. Cod. apud Aringh. loco cit.*

Nihilominùs non *in Basilica* SS. Marcellini, & Petri, sed tantùm juxtà ipsam *in Mausoleo* Corpus *Helenæ* potiùs conditum fuisse arbitramur. Ratio est, quia tunc in Basilicis Martyrum, vel Ecclesiis, ob loci venerationem defunctorum corpora sepulturæ non tradebantur. Progressu verò temporis in iisdem Basilicis, vel Ecclesiis, Venerabilibus tantùm quibusdam Viris, quos modò Confessores nuncupamus, sepul- *Gonzal. in lib. 3. Decret. tit. 28 de sepultur. to: 3.*

fepultura tributa eft, ut rectè animadvertit Gulielmus Durandus his verbis: [Nullum ergò corpus de-

Guliel. Durand. in Rational. Divin. Offic. lib. 1. cap. 5.

„ bet *in Ecclesia*, aut propè Altare, ubi Corpus „ Domini, & Sanguis conficitur, fepeliri: & nisi „ Corpora SS. Patrum, qui dicuntur Patroni, ideft „ Defenfores, qui meritis fuis totam defendunt Pa- „ triam, & Epifcopi, Abbates, & digni Presby- „ teri, & Laici fummæ fanctitatis, 13. quæft. 2. „ cap. Præcipiendum, & cap. Nullus; fed cuncti „ debent circà Ecclefiam fepeliri, putà in atrio, aut „ in porticu, aut exedris, five voltis Ecclefiæ exte- „ riùs adhærentibus, aut in cœmeterio, ut in cap. „ Præcipimus, & in eodem cap. Non æftimemus].

Teftament. S. Ephrem Syr. inter ejus Opufc. tom. 3.

Hoc ipfum confirmatur ex teftamento Sancti Ephremi Syri Edeffenæ Ecclefiæ Diaconi, qui fub Valente Imperatore deceffit, nàm inter cætera dicit: „ [Prætereà vos adhortor, obteftorque, ò vifcera „ mea defiderata, fi quidem Chrifti doctrinam reti- „ netis, *ne me cum Sanctis* ponatis; nàm peccator „ ego fum, & minimus, & propter infipientiam „ meam, ac ftultitiam meam ipfis appropinquare „ metuo, &c.] & alibi explicatiùs: [Et ne finatis

Ibid. ut fupra to. 3. pagina 291.

„ me *in Domo Dei poni*, aut fub Altari. Si quis „ verò fallacibus rationibus aufus fuerit fub Altari „ me collocare, fupernum, ac cælefte Altare talis „ nunquam videat; non enim decet, vermem pu- „ tredine fcatentem *in Templo*, *& Sanctuario Do-* „ *mini reponi*. *Sed neque alio in loco Templi Dei* „ *permittatis me poni*: non enim dignus cenfendus eft

„ est Templo gloriæ Regni Cælorum, qui contu-„ maciter, ac pervicaciter istud egerit, *& in Tem-„ plo Domini me deposuerit*]. Fuerunt autem hæc per magnam sancti Viri humilitatem dicta, ut quisque videt; & quia probè noverat Ephrem, in Ecclesia humandos non esse, nisi Viros sanctitate præstantissimos: iccircò, quia ipsà se omninò expertem præ humilitate arbitrabatur, potiùs inter peregrinos, & advenas in Cœmeterio (ut inferiùs explicavit) quàm *in Ecclesia* sepeliri, adeò instanter mandavit.

Ex his forsitan videbitur educendum, quod saltèm *Helenæ* Sanctissimæ Matri tribuere sepulcrum *in Basilica* SS. PETRI, & MARCELLINI Constantinus potuerit, hoc ipsius magnis exposcentibus meritis. Attamen factum hoc eo tempore, quo primùm & per ipsum Constantinum, & per piissimam Matrem ejus publicè in honorem Sanctorum Basilicæ constructæ sunt, asserere nullatenùs possumus, cùm ritum hujusmodi humandi in Basilicis Fidelium corpora paulatìm potiùs inolevisse, ut diximus, censendum sit, & confirmat Honuphrius Panvinius his verbis: „ [Cùm antiquitùs tantùm extrà Urbem in Cœme-„ teriis hominum corpora sepelirentur, pacę Eccle-„ siæ data intrà Urbes ad Templorum limina, po-„ steà in ipsis Templis sepeliri mos invaluit]. Et licèt aliud fuerit vel Templum, vel id, quod Ecclesiæ nomine nuncupabatur, aliud fuerint verò Basilicæ, vel Martyrum Memoriæ, ut nonnulli existimarunt, eandem nihilominùs consuetudinem defunctos non sepeliendi

Honuphrius Panvin. de ritu sepelien. mortuos de sepulc. & epitaph. cap. 7.

liendi in Ecclesiis, vel Templis, servatam quoque fuisse respectu Memoriarum, vel Basilicarum Martyrum, ex Divo Augustino colligi potest; nàm in fine Libri de Cura pro Mortuis ad Paulinum sic loquitur: [Quod verò quisque *apud Memoriam* „ *Martyrum sepelitur*, hoc tantùm mihi videtur „ prodesse defuncto, ut commendans eum etiam „ Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplica„ tionis augeatur]. Ubi notandum, *apud Memorias Martyrum*, non verò *in Martyrum Memoriis* mortuorum cadavera tumulanda esse, Augustinum dixisse. Undè disertè Emanuel Gonzalez docet, cùm reperiri contingat, in Martyrum, vel Apostolorum Basilicis Constantini, Theodosii, & Honorii Corpora condita fuisse, non esse hoc intelligendum de ipso interiori Templo, vel Basilica, sed *de limine*, *seu vestibulo ejusdem*. Immò quamvis posteà insigniores sanctitate Viri in Basilicis Martyrum tumulati fuerint, ut diximus, & inter alios ex Divo Ambrosio deprehendimus, qui dilectissimum fratrem suum Satyrum juxtà Victorem Martyrem sepelivit; sciendum tamen ob miros casus à Divo Gregorio relatos quorundam pravorum hominum *in Basilicis*, *vel Ecclesiis* sepultorum, qui indè divinitùs ejecti sunt, Ecclesiasticis legibus cautum denuò fuisse, nè quis *in Basilicis* sepeliretur; & per totum terrarum Orbem morem hunc receptum, ipsa Conciliorum, & SS. Patrum Decreta testantur. In Italia siquidem Pelagius II. anno 580. ità decrevit: [Item

D. August. de Cura pro Mortuis geren. cap. 18. to. 4.

Gonzal. ut supra p. 537.

D. Ambros. in epitaph. Satyr. to 5.

S. Gregor. lib 4. Dialog. cap 50.

„ [Item placuit, ut corpora defunctorum *nullo* „ *modo intrà Basilicam sepeliantur*, sed si necesse „ est, *foris circà murum Basilicæ*]. Sic pari modo in Hispania statutum, ut constat ex Concil. Bracharensi I. can. 18. In Germania in Concil. Tribur. can. 17. Mogunt. can. 42. relatis à Gratiano in cap. Nullus, cum seq. 13. quæst. 2. In Gallia in Concil. Nannet. can. 6. relato in cap. Præcipiendum 13. q. 2. Meldensi can. 9., undè in leg. 2. C. de Sacros. Eccles. ipsi Imperatores Gratianus, & Valentinianus sanxerunt, ut [nemo *Apostolorum*, *vel Martyrum* „ *sedem* humandis * Corporibus existimet esse con- „ cessam]; & hanc memorabilem Ecclesiæ prohibitionem innumeros Scriptores illustrasse ostendit pluribus Gonzalez, ut videre licet apud ipsum.

Labbè Concil. Gen. to. 3. ann. 580 sub Pelagio II.

* Legitur *humanis*, sed restituût *humandis* Mornaccius, & P. Burg.

Gonzal. ut supra.

CAPUT VIII.

Alia Argumenta, quibus ostenditur, Helenæ Mausoleum *ab* Ecclesia SS. *Martyrum* MARCELLINI, *&* PETRI *fuisse distinctum*.

SEd ulteriùs urgent ad confirmandum, sejunctam ab *Helenæ Mausoleo* SS. MARCELLINI, & PETRI extitisse *Basilicam*, ipsius Constantini Imperatoris exempla. Constructurus siquidem, ut innuimus, piissimus Princeps sibimet sepulcrum, non alium eidem locum delegit, quàm in Templi Apostolorum, quod Imperiali munificentia fundaverat,

Honuph. Panvin. de ritu sepel. mort.

E por-

porticu. De quo Eusebius Pamphili: [Hæc omnia, „ inquit, dedicavit Imperator eo consilio, ut Apo- „ stolorum Servatoris nostri memoriam posteris in „ perpetuum commendaret. Sed & aliud quidpiam „ in mente habens, ædem illam construxit, quod „ initio quidem obscurum, tandem verò omnibus „ sub finem innotuit. Quippè ipse hunc sibi locum „ post mortem designaverat, incredibili fidei alacri- „ tate prospiciens, ut corpus suum communem cum „ Apostolis appellationem post obitum sortiretur, „ quò scilicet precationum, quæ in honorem Apo- „ stolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus „ particeps fieret. Cùm igitur duodecim illic cap- „ sas, quasi sacras quasdam columnas in honorem, „ ac memoriam Apostolici Collegii erexisset, suam „ ipsius arcam in medio constituit, quæ senas utrin- „ que Apostolorum capsas dispositas haberet. At- „ que id in eo loco, ubi corpus ipsius post mortem „ decenter deponendum esset, sollicitissimè provi- „ dit].

Euseb. vita Constantin. lib. 4 cap. 60.

Hæc Eusebius, in quibus ea potissimùm spectanda sunt, quod licet Scriptor Basilicæ Apostolorum porticum Templum appellaverit, tamen, ut supra monuimus, Constantinus non in Basilica eadem, sed in Basilicæ *porticu* sepulcrum sibi designaverit. Quod quidem religionis, & humilitatis exemplum sectati sunt alii, qui post ipsum Imperii susceperunt habenas, uti apertè testatur S. Jo. Chrysostomus in Opere aduersùs Gentiles, dicens: [Etiam Romæ, quæ

D. Jo. Chrys. aduers. Gentil. demonstr. quod Christus sit Deus opusculum to. 5.

„ quæ Urbium eſt regaliſſima, relictis omnibus ad „ ſepulcra Piſcatoris, & pellionis currunt & Reges, „ & Præſides, & Milites. *Et in Conſtantinopoli „ Reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi „ propè Apoſtolos, ſed ſi vel extrà eorum veſti- „ bula corpora ſua ſepeliantur, fiantque Piſca- „ torum Oſtiarii Reges*. Neque hinc in morte con- „ funduntur, ſed honeſtantur & ipſi, & eorum „ nepotes, & pronepotes]. Et alibi idipſum ex ipſomet Magno Conſtantino confirmat his verbis: „ [Ergonè, dic quæſo, horum Dominum mortuum „ dicere audebis, cujus Servi etiam defuncti, eorum, „ qui univerſo Orbi imperant, patroni, ac defen- „ ſores ſunt? Atque id non Romæ ſolùm fieri, ſed „ etiam in Urbe Conſtantinopolitana. Nàm & „ hìc quoque Conſtantinum Magnum filius ità de- „ mùm ingenti honore ſe affecturum exiſtimavit, „ ſi eum *in Piſcatoris veſtibulo conderet*. *Quod- „ que Imperatoribus ſunt in aulis Janitores, hoc „ in ſepulcro Piſcatoribus ſunt Imperatores, atque „ illi quidem, velut Domini, interiores loci partes „ obtinent; hi autem, velut accolæ, & vicini præ- „ clarè ſecùm agi putarunt, ſi veſtibuli janua ipſis „ aſſignetur*].

Idem in epiſtola 2. ad Corinth. homil. 26. tom. 4.

Si igitur tanti duxit Conſtantinus, tantique exiſtimarunt reliqui Imperatores poſt eum, in Baſilicarum *porticu* corpora eorum ſepulturæ data fuiſſe, etiam poſtquam, non modico tempore elapſo, nonnullis ſanctitate præcipuis in Baſilicis ſepultura do-

nata jàm fuerat, non est certè, undè verisimiliter educi queat, statìm ac Basilicæ publicè excitari cœperunt, in ipsà, quam SS. MARCELLINO, & PETRO erexerat, Matris suæ Corpus deponere Constantinum voluisse.

CAPUT IX.

Ex Mausoleo Constantiæ *erecto* Helenæ Mausoleum *à SS.* MARCELLINI, *&* PETRI Basilica *sejunctum fuisse probatur.*

PRætereà si cuncta superiùs allata non sat essent ad demonstrandam distinctionem *Basilicæ* SS. MARCELLINI, & PETRI ab *Helenæ Mausoleo*, alia etiam forti ratione probari posset, *Helenam* ipsam non *in eorum Basilica*, sed tantùm *juxtà eam* habuisse sepulcrum. Excitaturus siquidem ipsemet Augustus filiæ, vel sorori suæ *Constantiæ*, utpotè à matre *Helena* religione, ac pietate non degeneri monumentum aliud, non *in Basilica* S. Agnetis Via Nomentana tertio ab Urbe milliario, sed tantùm juxtà illam *Mausoleum* ipsius erigi voluit, sed (quod notatu dignum) cum illo *Helenæ* omnimodam in forma, in situ, in sepulcrali urna similitudinem præferens.

Aring. Rom. subterr. lib. 4. c. 25. p. 156. tom. 2. Forma siquidem *Mausolei Constantiæ* ab eodem Aringhio nostro his verbis describitur: [Illud„ tamen haud silentio præteriisse volumus, ipsius-met,

„ met, nimirùm *Constantiæ* virginis *Mausoleum*, „ à Constantino Magno illi dicatum, haud procul „ ab ipsa Divæ Agnetis Basilica adhùc extare, „ quod modò haud alio titulo, quàm ejusdem *San-* „ *ctæ Constantiæ* Ecclesia nuncupatur. ***Hoc autem*** „ ***Templum sphæricæ formæ est***, cujus fornix, seu „ testudo columnis vigintiquatuor, binis quibusque „ simùl pariter junctis, sibique ex ordine responden- „ tibus fulcitur]; cui certè consonat vir eruditissimus Joannes Mabillonius, nàm de eodem *Constantiæ Mausoleo* sic scribit in suo Itinere Italico: „ [Proximum, nempè Basilicæ S. Agnetis, adjacet „ *Templum aliud rotundum*, vigintiquatuor co- „ lumnis marmoreis sustentatum, ornatumque ope- „ re tessellato, &c.] Huic verò sphæricæ formæ respondere *Helenæ Mausoleum*, & usque modò conspicitur, & cuncti ferè Scriptores testantur, inter quos in vita Constantini Nicephorus: [Extrà Ur- „ bem Romanam, inquit, sepulta ***in Templo ro-*** „ ***tundo***, marmorea urna deposita]. Immò Baronius, & Aringhius *Helenæ Mausoleo* non aliam, quàm sphæricam formam tribuunt; nàm primus sub anno 826. de supra allata translatione Corporum SS. MARCELLINI, & PETRI in Gallias agens, licet nolens (quia nempè differere excogitavit non de *Helenæ Mausoleo*, sed de eorundem Martyrum *Basilica*) *Mausoleum* idem ità designat: [Quæ ostensa „ est Divinitùs *Basilica* ob sui amplitudinem, & „ altitudinem longiùs etiam perspicua erat, opus

Jo. Mabill. Itiner. Ital. sub an. 1685. Aug. pag. 84.

Niceph. Ecclesiast. Histor. lib. 8. cap. 31.

Annal. Ecclesiast. Baron. tom. 9. anno Dni 826.

Con-

„ Conftantini Magni, *rotundo fchemate concame-*
„ *rato defuper fabricata, &c.*]

Aringhius Rom. fubterr. lib 4. cap. 14. to. 2. pag. 47.

Aringhius verò differens de Cœmeteriis ab Antonio Bofio *Via Lavicana* repertis, ac perluftratis, hæc habet: [Ab Exquilina Porta, feu Majori,
„ quam dicunt, Antonius Bofius egreffus, ac dex-
„ teram in partem deflectens juxtà Aquæ Claudiæ
„ formas, fingulas, quæ in ejusdem regionis ambitu
„ tunc temporis exiftebant, vineas prætereundo,
„ quendam ad locum devenit, ubi vetuftiffimæ
„ cujusdam fabricæ paffim ruinæ confpiciebantur,
„ & *quoddam fpharica forma ædificium* magna
„ jàm ex parte dirutum, atque incultum penitùs
„ extabat, quod nunc vulgò *Torre Pignattara*
„ nuncupatur, ab innumeris fcilicèt ollis, quæ in
„ ipfa parietum craffitudine artificum manu infer-
„ tæ, & compactæ ibidem funt. Hùc igitur cum
„ ille ingreffus fuiffet, prægrandes in interiori ejus-
„ dem loci parte arcus contemplatus eft, quorum
„ finguli tholos, feu fornices fuffulciebant, ibidem-
„ que in eorum altero facram olim aram erectam
„ fuiffe ex afpectu deprehendit, ut nonnullæ, quæ
„ adhùc ibi extabant, è mufivo elaboratæ Sancto-
„ rum imagines, fingulæ diademata capite præfe-
„ ferentes, indicare videbantur, quamvis eædem
„ temporum injuria labefactatæ, ipfam intuentibus
„ longævitatem fuggererent, & una ex his præfer-
„ tìm, quæ virum prunis injectum præferebat, anti-
„ quatam fatis faciem exhiberet; quam protinus

lynceis

„ lynceis oculis contemplatus, sacram B. Martyris „ Tiburtii effigiem esse conjectans, qui supra ignitos „ carbones illæso corpore ambularat, ejusmodi signo „ certior redditus, hunc eundem sibi occurrisse lo- „ cum, quem tanto labore, ac studio diutiùs per- „ quirere non destiterat, constanter, ac sibimetipsi „ gaudens arbitratus est. Tunc autem primùm „ ejus menti præcitata Nicephori Scriptoris proba- „ tissimi auctoritas subiit, Sanctissimam *Helenam* „ Augustam *in quodam sphæricæ figuræ Templo* à „ Constantino Magno erecto tumulatam fuisse affe- „ rentis]. Sic Aringhius, ex quo, uti ab aliis præcitatis Auctoribus, evidenter cognoscitur, *Mausolei Helenæ* architectonicam structuram omninò ei *Constantiæ* convenire, utpotè quod ambo sphærica forma ædificata fuerint.

Locus insuper, in quo *Constantiæ Mausoleum* à Constantino constitutum fuit, optimè ei cohæret, in quo idem Augustus *Mausoleum* aliud matri *Helenæ* erexit: juxtà enim MARCELLINI, & PETRI *Basilicam*, ut supra pluribus ostendimus, illud statuit; sicque pari modo *Constantiæ Mausoleum* haud procul à Divæ Agnetis Basilica collocavit, ut Aringhius iisdem penè verbis testatur, & laudatus Mabillonius confirmat.

Aringh. Rom. subterr. lib. 4. c. 25. p. 156. tom. 2.
Jo. Mabill. ut supra.

Aringhii tamen alias opinationes de hoc ipso *Constantiæ Mausoleo* sectari non possumus, quibus in eam sententiam deflexisse videtur, ut *Mausoleum* non à Constantino à fundamentis extructum, sed ex ethnico

ethnico tantùm filiæ dicatum crediderit; dicit enim:
„ [Ut autem communis omnium opinio fert, hoc
„ apud Gentiles olìm Bacchi Templum fuit, ut ex
„ ipfis etiam rerum antiquarum Scriptoribus Mar-
„ liano, Andrea Fulvio, Lucio Fauno, & aliis
„ liquidò comprobatur, qui id ex pictis ejusdem
„ Bacchi imaginibus; hoc eft *ex Birotis uva refer-*
„ *tis*, ac id genus aliis ejufcemodi vindemiales Fe-
„ ftorum dies indicantibus, quæ alicubi in Templo
„ paffim fufpiciuntur. Neque verò quid minùs
„ probabile quis dixerit, in hac olìm regione, ubi
„ frequens vinearum numerus, ac vini optimi co-
„ pia fuppetebat, Bacchi quoque vini, ac vinde-
„ miarum Patroni Templum extitiffe, ut à nobis
„ fupra enarratum eft. Hoc autem fubindè ab ip-
„ fomet Conftantino Magno inftauratum, *facris-*
„ *que infuper imaginibus exornatum, quas mu-*
„ *fivo, & eleganti opere contextas in ipfius Templi*
„ *fornice olìm intueri licebat*, fi ad pium Chriftianæ
„ religionis ufum, & Chrifti cultum fapienti ejus-
„ dem Imperatoris confilio redactum, necnon in
„ Beatæ ejusdem virginis *Conftantiæ* honorem Deo
„ immortali ritè dicatum fuiffe quis afferat, haud
„ abfurdum, & à veritate alienum pronunciandum
„ eft]. Ità Aringhius.

[*Aringh. ut fupra. Marlianus lib.7. cap.15. Andr. Fulv. lib.1. cap 12. Luc. Faun. lib.1. cap.10.*]

Sed tales ejus, aliorumque opinationes nullius ferè ponderis effe, evidenter apparet; ex Imaginibus fiquidem Bacchi petita argumenta citò corruunt, fi perpendatur, *Birota uvis referta*, aliaque hujusmodi

vinde-

vindemiales festorum dies indicantia, nimis impropriè ab Aringhio Bacchi imagines censeri; dicit enim, ut supra: [Id ex pictis ejusdem Bacchi imaginibus, hoc est ex *Birotis uva refertis*, ac id genus aliis, &c. comprobari]; Imagines siquidem Bacchi Adolescentem lætum repræsentabant, ac nudum, pellem lyncis humeris sustinentem, hederacea redimitum corona, Tyrsumque dextera manu regentem, hederæ item frondibus intertextum; eminebatque ipse in curru vitibus undequaque, flavisque, ac purpureis uvis ornato, currusque Pantheris, ac Tigribus subvehebatur. *Birota* verò *uvis referta*, ac id genus alia, licet aliquo modo ad Bacchum spectantia, Bacchi tamen imagines dici non poterant, quia nempè aliter Bacchum ethnici repræsentare solebant; & cùm illa, ut infrà ostendetur, antiquitùs apud Christianos aliud significarent; nimis ergò impropriè, ut apparet, ab Aringhio, qui vulgi opinionem secutus est, imagines Bacchi nuncupantur, quæ Bacchum non exhibent eo modo, quo exprimere Idololatræ consueverant; præcipitique per consequens judicio, quod æquè poterat ad Christianos, vel ad Gentiles attinere, Gentilibus adjudicavit.

Aringh. ut supra.

Cæsar Ripa in Iconologia par. 1. pag 91. de Bacchi Icone.

Sed hoc insuper, pace tanti Viri, certè admiratione dignissimum est, quod secùm ipse in hac sua sententia pugnavit; nàm alibi de iisdem symbolicis *uvarum*, ac *vitium* differens signis, aliud procul dubio de ipsis apertè se censuisse professus, hæc scripsit:

F [Verùm

e Aring. Rom. subterr. lib. 6. c. 45. p. 647. tom. 2.

„ [Verùm ut nunc à prophanis ad sacra, & à militaribus rebus ad Cœmeteriales stylum convertamus, antiqui Christianorum præter jàm descriptas, ac enarratas symbolicarum rerum imagines, *vites* pariter *uvis* refertas in abditis Cœmeteriorum cubiculis frequenter pingere consueverunt; neque verò ornamenti dumtaxàt conciliandi gratia, sed Mysteriorum quoque adumbrandorum causa id ab iisdem præstitum fuisse dixerimus. *Vites* quippè, & *uvæ*, quæ iisdem subterraneæ Romæ tabulis inseruntur, Israeliticum populum, ac Synagogam designant, quæ in compluribus quidem sacrarum paginarum locis haud alio, quàm electo titulo *Vineæ* commendatur: id autem præcipuè ex cap. 2. Hieremiæ constat, ubi ipsemet Deus acceptum sibi populum, quem singulariter excoluerat, hac potissimùm similitudine compellat: ego autem plantavi te *Vineam* electam, &c.; quod Psal. item 79. repetitur: *Vineam* de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, & plantasti eam, &c.]

Et inferiùs: [Quapropter ut res, cujus sermo recurrit, oculis comprobetur, sapienti quidem consilio ipsiusmet Christi Salvatoris Imago à Christianis olìm, ut in Cœmeterialibus tabulis videre est, sub *vitis*, ac racemorum *uvæ* symbolis contemplanda proponebatur; quinimò in ipsismet fictilibus lucernis Christi imaginem *uvarum* racemis ad innuenda symboli ejusdem mysteria

„ steria iidem eleganter exsultam delineabant]. Hæc ille. At quænam quæso argumenta contra Aringhium validiora produci possunt, quàm ista Aringhii?

Nihilominùs ut insuper confirmet idem eruditissimus Scriptor, *Mausoleum* hoc *Constantiæ* non à fundamentis à Magno Constantino erectum, sed tantùm Christiano ritui dicatum: [Haud absurdum, „ & à veritate alienum pronunciandum esse, dicit, „ Templum id Bacchi subindè ab ipsomet Constan- „ tino Magno instauratum, sacrisque insuper ima- „ ginibus exornatum, quas musivo, & eleganti „ opere contextas in ipsius Templi fornice olim „ intueri licebat]. Verùm si ex prophano sacrum Templum hoc Constantinus effecit, quomodò in ipso Idolorum imagines adhùc immorari permisit? Si sacris imaginibus fornicem exornavit, cur non etiam superstitiosas è toto Templo ablegasse censendum est? Credendumnè erit, piissimum Principem unà stare posse Sanctorum, Deorumque inanium figuras existimasse? At crimen hoc nefas esset Constantino impingere, qui tot vel evertit, vel everti permisit Idolorum simulacra. Sicùt igitur alias alibi destruendas duxit falsorum Numinum imagines, ità in hoc Templo, quod sacris imaginibus decorare voluit, intactas reliquisse, absurdum omninò est judicandum.

Idem lib. 4. c. 25. p. 156. tom. 2.

Vide Euseb. Pamphil. in vita Constant. lib. 3. cap. 54. & seqq.

Sed cùm insuper adnotaverit idem Aringhius, temporis injuria labefactatas imagines sacras, quibus

mufivo, & eleganti opere expreffis ejusdem Templi fornicem Conftantinus illuftravit, procul dubio ineptum videtur arbitrari, ethnicas antè Conftantinum elaboratas imagines facris fuperftites extitiffe, nec temporum edacitate fuiffe confumptas. Undè quæ demùm ad fuam ftatuendam fententiam Aringhius ipfe, Beatæ *Conftantiæ*, ex MSS. Cod. Vallicellanis noftris, Acta produxit, contra ipfum confiftere cognofcuntur: [Ibidem (Actorum funt verba) ipfa à „ patre, & fratribus Ecclefia columnis, & mufivo „ de lapidibus decorata, in ejus honorem fabricata „ eft]; nàm ubinam hìc vel verbum de Bacchi Templo, vel quod ex prophanis ritibus ad Chriftianos translatum fuerit? Dùm ergò fabricatum pronunciant *Maufoleum* hoc, non à Gentilitate avulfum, fed à fundamentis erectum jure optimo Acta ipfa manifeftant. Et ideò exiftimandum eft, eundem Auguftum juxtà Agnetis Bafilicam *Maufoleum* de novo *Conftantiæ* erexiffe, ficùt *Helenæ* matri juxtà *Bafilicam* SS. Marcellini, & Petri aliud extulerat.

Apud Aringh. ut fupra.

CA-

CAPUT X.

Aliæ contra noſtram ſententiam de Mauſoleo Conſtantiæ, *& de ejusdem* porphyretica Urna *Objectiones proponuntur.*

NIhilominùs contra noſtram opinionem, Joannis Ciampinii modò urgent argumenta. Relatis ſiquidem hinc indè Antiquariorum ſententiis, tùm de hoc, de quo agimus, *Mauſoleo*, tùm etiam de porphyretica Urna *Conſtantiæ*, quam nos æquè ac illam *Helenæ*, Conſtantini juſſu elaboratam decernimus, proprium ſenſum his prodit verbis: [In hac opinionum varietate quid „ ſentiam, ſi proferre opus ſit, longè à recentiorum „ ſententiis feror. Nàm ſi ejusdem Templi (de „ *Mauſoleo Conſtantiæ* loquitur) ſtructura, co- „ lumnæ, capitula, & baſes ſedulò obſerventur, „ perelegans reperietur Architectura, & columnæ, „ aliaque cùm marmore, tùm ſymmetrìa uniformia, „ quod ævo Conſtantini repugnat, eo quia ea tem- „ peſtate plurimùm veteris decoris, ac venuſtatis „ Architecturæ perierat, ut Fabricæ ipſius tempore „ excitatæ ſat docent. Etenim ſi ſupramemoratam „ Seſſorianam ab ipſo Conſtantino conſtructam in- „ ſpiciamus, columnæ, capitula, & baſes diſpares „ ſunt. Hujus cauſa fuit, quia Conſtantinus pro- „ phana ædificia demolitus, ex eorum ruinis nova,

Jo. Ciampin. de ſacr. ædif. à Conſtantino conſtr. cap. 10. pag. 132.

vero-

„ veroque Deo dedicanda Templa excitavit. Id „ etiam in ædificatione triumphalis Arcus eidem „ Imperatori dicati, cujus elegantiores ftatuæ, „ fimiliaque anaglyphica opera è Trajani Arcu „ defumpta fuiffe fama eft, factàque inter ea col- „ latione, temporis diverfitas evidentiffimè ap- „ paret.

„ Quod verò de Sefforiana Bafilica, deque Arcu „ dictum eft, etiam dicendum videtur de Bafilicis „ S. Pauli in Via Oftienfi, & S. Laurentii in Agro „ Verano, quæ licet hodie eædem non fint, quæ à „ Conftantino ædificatæ fuere, attamen longè ma- „ jorem ex eorundem cæmentis partem, in novam „ fabricam fuiffe converfam credibile eft, & colum- „ nas præcipuè, quæ inter fe, ut in Sefforiana Bafi- „ lica, difpares funt.

„ Prætereà à recentiorum fententia etiam ma- „ ximè me avertit operum mufivorum diverfitas. „ Ea enim, quæ in fornice confpiciuntur, perele- „ ganti minerva compacta funt, alia verò, quæ in „ januarum lunulis extant, planè rudi opere funt „ elaborata. Quapropter quàm apertiffimè hæc ope- „ rum mufivorum varietas, temporum diverfitatem „ oftendit. Puto igitur Templum hoc, five Bac- „ cho, five alii falfo Numini facrum olìm fuiffe, „ poftea verò à Conftantino in *Baptifterium*, ac „ deindè in ipfius filiæ fepulcrum converfum.

„ Variæ funt conjecturæ, quæ me ad hoc cre- „ dendum inducunt. Prima eft, quod animadverto

non

„ non casu, sed in alicujus rei symbolum figuras à
„ constructore delineatas fuisse. Nàm ibi varii pueri
„ alati cernuntur, qui nil aliud repræsentant, nisi
„ Genios, pro Numinibus à cæca Gentilitate habi-
„ tos; quorum Geniorum infinitus erat numerus,
„ ut narravimus in nostro Opere de Veter. Monum.
„ par. 1. cap. 9., ibique etiam ostendimus (quod pro
„ secunda conjectura sit) Proceres, & Magnates
„ Templis pro recondendis cadaveribus usos fuisse.
„ Quare à veritate alienum esse minimè censeo, si
„ hoc nobile Templum ab aliquo Imperatore in suo
„ prædio constructum, locique Genio, scilicèt Bac-
„ cho dicatum fuisse asseram, quia ibi fortasse vineæ
„ erant, sicque ad bonum vinum, bonamque colli-
„ gendam vindemiam, Genii uvas, racemosque, &
„ similia manu tenentes fuere expressi, quorum
„ nonnulli è collo pendulam habent bullam, quæ
„ puerilis nobilitatis Insigne erat, ut docet Plinius
„ lib. 33. cap. 1. Quapropter meam confirmat con-
„ jecturam, quod pro Proceribus, Magnatibusque
„ locus iste constructus fuerit. Itidem in eàdem
„ porphyretica arca observo, quod ibi tres sunt
„ ollæ, quæ nil aliud denotant, nisi ollas illas,
„ quæ Ossuariæ appellabantur, in quibus cineres,
„ & cadaverum crematorum ossa reponebantur.
„ Mos iste in aliqua magna arca varios defuncto-
„ rum cineres, variis in vasis positos recondendi,
„ satis elicitur è veterum Furiorum sepulcro in
„ Monte Tusculano detecto anno 1665., quod
ipse-

„ ipſemet oculariter vidi, in quibus diverſæ erant „ arcæ, è lapide piperite conſtructæ, quas intra aliæ „ parvæ pariter erant. Has omnes deſcripſit, ac de- „ lineavit Kircherus in ſuo Latio cap. 3., ex quo col- „ ligo, quod magna arca non unum, ſed plura „ ejusdem familiæ cremata cadavera in ſe conti- „ neret. Habebatque etiam idem Furiorum ſepul- „ crum in januæ ſummitate ipſius familiæ Genios „ expreſſos, ut laudatus Kircherus obſervavit, quæ „ omnia conjecturas noſtras firmant.

„ Non obſtat, quod ab aliquo rerum antiquarum „ minùs erudito aſſeri valeat, nonnullas cerni cru- „ ces, nàm huic objectioni reſponderi poſſe autu- „ mo, ſignum illud non crucem, ſed quatuor de- „ notare elementa, quod apud Ægyptios frequens „ ſymbolum erat, ut oſtendit nuper citatus Kir- „ cherus in ſuo Oedipo Ægyptiaco tom. 2. par. 2. „ cap. 4. & alibi.

„ Prætereà ut à recentiorum ſententia declinem, „ moveor, quia S. *Conſtantia* deceſſit anno 354., „ Conſtantinus verò anno 337., & ſic illa poſt „ patris obitum annos ſeptemdecim, quo anno im- „ perabat in Oriente Conſtantius. Undè inferre „ neceſsè eſt, prædictam Arcam non ſolùm paulò „ antè S. *Conſtantiæ* obitum, ſed longè anteriùs „ fuiſſe ſculptam, nempè iis in ſæculis, in quibus „ bonæ florebant artes, ut ipſa cælatura demon- „ ſtrat.

„ Denique ſatis ſuperque in mea firmor ſenten- tia,

„ tia, dùm reputo, omninò eundem esse opificem „ tam musivi operis, quàm etiam Arcæ marmoreæ, „ ut ex figurarum uniformitate deduco, qua de re „ cùm operis musivi, & Arcæ imagines, utpotè „ elegantiores, alia tempora sapiant, quàm Con- „ stantini, neque Templum, neque Arca Aucto- „ rem Constantinum agnoscunt. Quibus omnibus „ addo, quod si eodem elaborata fuissent tempore, „ à veritate alienum videretur, Constantinum, dùm „ *Baptisterium* ædificaret, eodem tempore pro filiæ „ suæ cadavere recondendo sarcophagum excitasse. „ Undè tam ipsum ædificium, quàm arcam haud „ unquam inter Constantini Cæsaris opera repo- „ nendam esse necessariò fatendum est.

„ Hanc porphyreticam Arcam *Mausoleum* illud „ esse puto, de quo in supradictis Actis B. Agnetis „ à S. Ambrosio relatis fit mentio. In Actis verò „ MS. Cod. Vallicell., quæ Aringhius refert in sua „ Roma Subterranea lib. 4. cap. 25. tom. 2. hæc „ habentur: [Porrò Beata *Constantia* in sancta „ virginitate permanens, transacto tempore hye- „ mis, & inchoato tempore veris, hoc est xij. kal. „ Martias, parata intravit ad nuptias; Corpus verò „ ejus in pretioso labro porphyretico sepultum est, „ & ibidem ipsa à patre, & fratribus Ecclesia co- „ lumnis, & musivo de lapidibus decorata, in ejus „ honorem fabricata est]. Quæ auctoritas mirum in „ modum conduceret ad probandum, nostrum Impe- „ ratorem eandem Ecclesiam, ac porphyreticum la-

G brum

„ brum construxisse, ex præcitatis verbis: [In ejus
„ honorem fabricata est]; sed Grammaticorum est
„ usus vocibus tenaciter adhærere; at mitiùs cùm
„ Oratoribus, Historicisque agendum; quandoque
„ enim isti figuratè loquuntur, ut ostendimus in
„ nostro Opere de Veter. Monum. par. 1. cap. 27.,
„ ubi vox *fecit* frequens in Pontificali libro, pro
„ *ædificare* semper accipienda minimè est; immò
„ sæpè pro *restaurare*, vel *dedicare* intelligenda
„ venit. In præsenti enim casu vocem *fabricata*
„ pro *restaurata* sumendam arbitror.

„ Quoniam istius Ecclesiæ nuper interiores de-
„ scripsimus ornatus, sub silentio præterire minimè
„ censemus alios amovibiles ornatus in eàdem olim
„ extantes, nempè quædam marmorea candelabra,
„ quæ Martinellus in sua Roma Sacra, occasione,
„ qua S. Agnetis describit Ecclesiam, sex fuisse asse-
„ rit, & hac in eadem Ecclesia extitisse, deindè ad
„ dictam S. Agnetis Ecclesiam fuisse translata, quo-
„ rum bases trigonales erant, in quibus aves sub
„ facie humana, puerique uvas decerpentes, & arie-
„ tum capita insculpta cernebantur. Hodie tamen
„ ex his quinque tantùm extant, tria videlicèt in
„ Ecclesia S. Agnetis, quorum altitudo est palm. 9.
„ cum 3. quartis; & duo in præfata S. *Constantiæ*;
„ horum altitudo est palm. 8. cum dimidio. De
„ iisdem candelabris meminit etiam Philander in
„ annotat ad Vitruvium lib. 3. cap. 2., & ob orna-
„ tum admodùm pulchra sunt. Quare cùm fatendum
sit;

„ sit, candelabra ista ex anaglyphicis operibus uniformitatem cùm tota fabrica habere, fatendum etiam est eodem tempore, & in ejusdem fabricæ usum fuisse constructa. Si igitur pro dictæ fabricæ usu elaborata esse concedatur, videtur etiam dicendum, quod Templum hoc non ad *Baptisterii*, in quo candelabra minimè requiruntur, sed ad Templi usum fabricatum. At veritatem hanc accuratiùs indagemus.

„ Narratum hucusque est de interioribus hujus Ecclesiæ partibus, atque ornatibus, modò superest pauca de exterioribus indicare; quamobrem extimam quoque partem delineandam curavimus, putantes, antiquitùs quartam fuisse januam in loculamento, ubi nunc prædicta Arca est locata, Urbemque respicit. Hanc deducimus conjecturam ex eo quod in exteriori ejusdem loculamenti parte ædificium quoddam quadratum attollitur, idemque in januæ tympano superinstructum existimabamus. At aliter se res habet, nàm nè minimum quidem januæ vestigium invenimus, immò novum, quod modò ferè dirutum est, muro antiquo, veluti tunica, superædificatum fuisse observavimus. Id autem qua de causa factum fuerit, indagare haud potuimus, cùm veterem murum nulla reparatione indigere exploraverimus.

„ Ulterius Lucius Faunus in suis Antiq. Urbis, structuram Ecclesiæ describens, præter vigintiquatuor columnas, interiorem porticum, sive navem

„ formantes, alias exteriores fuisse numero quadraginta narrat Corinthii ordinis, quæ æqualiter „ dispositæ circumambientem porticum sustentabant, ac unicam tantùm suo tempore erectam „ stetisse, cùm aliarum præter vestigia nihil reliquum esset.

„ Hæc autem exterior porticus meam etiam firmat conjecturam, scilicet quod ædificium hoc „ alicui falso Numini dicatum esset, propatereàque „ repugnat, quod pro *Baptisterio* constructum fuerit, cùm nullum *Baptisterium* similem porticum „ habens, descriptum inveniam].

Tandem ad explorandam *Mausolei* hujus *Constantiæ* antiquitatem, refert Ciampinius, se ad ipsum contulisse, tectumque ascendendo diligenter omnes antiquissimas ipsius tegulas perquisisse, quarum quamplurimas, ex inscriptionibus, temporibus Constantini antiquiores reperiit; quapropter demùm concludit: [Omnes istæ tegulæ tempora Constantino anteriora sapiunt, at cum amovibiles sint, „ obiici valet, in tecti refectionibus ex aliis locis „ desumptas, tunc fuisse positas, ideò examen pe„ nès Lectorem esto].

Ciampin. ut supra p. 137.

CA-

CAPUT XI.

Aliud Baptisterium Constantiæ *aliud verò ipsius* Mausoleum *fuisse resolvitur*.

VErùm hæc, & his similia tùm supra laudati viri Joannis Ciampinii, tùm aliorum argumenta facilè solvuntur, si illud in primis expendatur, quod aliud *Constantiæ Baptisterium*, aliud ipsimet erectum à Constantino, fuerit *Mausoleum*. *Baptisterium* siquidem *Constantiæ* Constantinum ipsum evexisse, testatur Anastasius in Silvestro hoc modo: [Eodem tempore (subintel- *Anastas. Biblioth in vit. Pontific. in Silvestro I.*
„ lige Constantinus) fecit Basilicam S. Martyris
„ Agnetis ex rogatu *Constantiæ* filiæ suæ, & *Bap-*
„ *tisterium* in eodem loco, ubi & baptizata est
„ soror ejus *Constantia* cùm filia Augusti à Silve-
„ stro Episcopo, &c.]

„ [Ubinam autem (inquit Ciampinius) ipsa *Ciampin. de sacris ædific. c. 10. pag. 130.*
„ Basilica S. Agnetis fuerit, in dubium revocari
„ minimè potest, cùm adhùc extet. Oritur tamen
„ dubium *de Baptisterio*, ad quod decidendum cir-
„ cumvicina ædificia lustrare oportet. Nàm cùm
„ antiquitùs *Baptisteria* seorsim ædificarentur ab
„ Ecclesiis, nullum ædificium profectò inveniemus,
„ quod aptiùs ad *Baptisterii* usum inservire potue-
„ rit, quàm S. *Constantiæ* Ecclesiam, eidem Basi-
„ licæ proximam]. Sic Ciampinius.

Ejus-

Olaus Borrich. de Antiq. Urb. Rom. facie cap. 7.

Ejusdem sententiæ Olaus Borrichius, & Famianus Nardinus fuere; primus enim: [Rectiùs „ proindè, inquit, Sacrarium hoc rotundum *Baptisterium Constantiæ* Constantini sororis initio „ fuisse æstimatur Anastasio, & posteà ejusdem sepulcrum, ut ex Marcellino colligi videtur, &c.]

Fam. Nardin. Rom. Antiq. libro 4. cap. 4. reg. 5. pag. 174.

Nardinus verò: [Templum ideò *S. Constantiæ* à „ fundamentis erectum, rotundum illud ædificium „ aliqui censuerunt; at Ecclesias sphærico schemate „ à Basilicis diversas eo sæculo construere mos non „ fuit, nec absque locis distinctis, & si non pro „ quinque hominum generibus, saltèm certè pro „ Clero: quapropter difficile est, ædificium illud, „ aliquid aliud non fuisse, priùsquàm Ecclesia Christianorum dicaretur. Apertè in Anastasio me „ comperisse arbitror, quod fuerat; in Silvestro „ enim sic scribit: [Eodem tempore fecit Basilicam „ S. Martyris Agnetis ex rogatu filiæ suæ]; & statìm subjungit: [& *Baptisterium* in eodem loco, „ ubi & baptizata est soror ejus *Constantia* cùm „ filia Augusti à Silvestro Episcopo]; undè deducitur, Constantinum eo propè consilio, quo juxtà „ S. Joannis Laterani Basilicam *Baptisterium*, in „ quo ipse baptizatus fuerat, construxerat, hoc „ quoque, ubi duæ *Constantiæ* baptizarentur, „ propè S. Agnetis Basilicam fabricasse].

Anastas. ubi supra.

His non obstantibus aliud *Constantiæ Baptisterium*, aliud verò fuisse *Mausoleum* constanter affirmamus; & quod extat *Constantiæ Mausoleum*, ipsius

ipsius nunquàm *Baptisterium* fuisse decernimus. Hoc enim in primis elici posse cognoscitur, vel ex Actis S. Agnetis Divo Ambrosio attributis; in his enim legitur, ubi de *Constantia*: [Intereà patrem, „ & fratres Augustos rogat, ut Basilica B. Agnetis „ construeretur, & sibi illic *Mausoleum* collocari „ præcepit]; vel ex aliis toties allatis S. *Constantiæ* ex nostra Vallicellana Bibliotheca, in quibus dicitur, quod ipsà mortuà Corpus ejus in pretioso labro porphyretico sepultum est, & ibidem ipsa à patre, & fratribus Ecclesia columnis, & musivo de lapidibus decorata, in ejus honorem fabricata est. Nàm si Ecclesia hæc (ut Actorum verbis utamur) ut *Constantiæ* sepulturæ inserviret, post mortem ipsius constructa est, certè *Baptisterium* illius esse haud potuit; sin autem, ut verisimiliùs, antè *Constantiæ* mortem simùl cum B. Agnetis Basilica fabricata fuit, ut allata Agnetis Acta testari videntur; hinc tamen non sequitur, eandem fuisse, ac illius *Baptisterium*, quia juxtà ipsam, quam erigi à patre fecit, S. Agnetis Basilicam, non tantùm, quod memoratur, *Mausoleum*, sed plures alias ædes construi voluit, inter quas existere potuit *Baptisterium*, licet de ipso, ut de cæteris ædibus, nulla prorsùs mentio facta in iisdem Actis reperiatur.

Apud Sur. to. 1. sub die 21. Januar. pag. 491. & inter Opera Ambrosii.

MS. Cod. Vallicell.

Hæc tamen in eis Lectori occurrunt: [Perse- „ veravit autem *Constantia* Augusti filia in virgi- „ nitate, per quam multæ virgines, & mediocres, „ & nobiles, & illustres sacra velamina susceperunt.

Ut supra.

Et

„ Et quia fides mortis damna non patitur, usque „ in hodiernum diem multæ virgines Romanæ „ Agnen Beatissimam, quasi in corpore manentem, attendunt, & ejus exemplo agentes viriliter, integræ perseverant, credentes sine dubio, „ quod perseverantes perpetuæ victoriæ palmam „ acquirant]. Ex quibus certò comperimus, juxtà Agnetis Basilicam alias quoque ædes à Constantino ædificatas fuisse, ut eas, virgines *Constantiæ* vestigia legentes in proposito virginitatis incolerent: cùm tamen, ut diximus, earum haud penitùs Anastasius Bibliothecarius præcitato loco, nec allata Agnetis Acta meminerint.

Bibliothecarius tamen, qui priùs in Silvestro tradidit, *Baptisterium* tantùm juxtà Basilicam Sanctæ Agnetis constructum, in Liberio reticens *Baptisterii* nomen, apud eandem Basilicam ædes alias, in quibus *Constantia* habitabat, commemorat: [Rediens autem, inquit, Liberius de exilio, habitavit in Cœmeterio S. Agnetis apud germanam „ Constantii, ut quasi per ejus interventionem, aut „ rogatum rediret Liberius in Civitatem]. Cui testimonio vir eruditissimus Joannes Mabillonius se reperisse consonum Codicem quendam fatetur Abbatis de Noalis, in quo nimirùm allata S. Agnetis recensentur Actorum verba, sed aliter quàm quæ typis edita leguntur; nàm ubi *de Constantia* [*pro se Mausoleum collocari præcepit*], in Codice legitur, [*Mansionem sibi collocare voluisse*]. Ex quibus omnibus

Anastas. in Liber.

Jo. Mabillon. Itiner. Ital. anno 1685. pag. 84.

bus rectè deducitur, non tantùm *Baptisterium*, sed & *Mansionem* regali eà, quæ tantum Principem decebat, munificentiâ, *Constantiæ* à Constantino erectam.

At ubinam, inquies, *Baptisterii* monumenta? & ubinam, inquam, ea Imperialis ædificii, in quo habitavit *Constantia*? Sicut edax rerum tempus hæc abstulit, ità & illa; solùm reliquum fuit, quod omnibus posteriùs, sepulcrum, *Constantiæ* Corpori deservivit; *Baptisterium*, ac ædes, quas habuit antè mortem, post ipsam, ac si officio suo sat functæ essent, primò perjerunt. Nec tamen inferendum est ex allato Codice, ubi pro *Mausoleo Mansio* legitur, vel nos inediti ejusdem Codicis auctoritatem iccircò editorum Actorum lectioni præferre voluisse, vel Constantinum extulisse quidem *Constantiæ Mansionem*, non verò *Mausoleum*; nàm cùm de hoc nulla dubitatio unquàm fuerit, & cùm adhùc extet, ambigendi sanè omnis facultas adimitur, eam ipsam *Constantiam*, quæ juxtà S. Agnetis Basilicam *Mansionem* habuit, apud eandem etiam obtinuisse sepulcrum; allata verò tantùm protulimus, ut ostenderemus, Augustam illam juxtà Agnetem non solùm *Mausoleum* post obitum habuisse, sed dùm in vivis ageret, à *Mausoleo* insuper regalem sejunctam *Mansionem*, & per consequens etiam, ut par erat tantæ Heroinæ dignitati, à *Mausoleo*, & *Mansione* segregatum *Baptisterium*.

Anastasius Bibliothecarius igitur, dùm in Sil-

H voltro

veftro *Baptifterium* tantùm memoravit; non ideò *Maufoleum* diftinctum non extitiffe afferuit, fed tantummodò reticuit; ficut à pari cùm in Liberio *Conftantiæ* Auguftæ ædes innuit, non tamen *Baptifterium* ibidem, & *Maufoleum* negavit. Pro temporis, & hiftoriæ, quam præ manibus habuit, qualitate continenter ea tantùm recoluit, quæ in præfentia, neceffitate cogente, fcribere debuit: In Silveftro, ubi de Conftantini Baptifmate tam fusè differuerat, abfurdum fuiffet, quæ item ad filiæ, vel fororis Baptifma fpectabant, filentio præterire; alibi ubi nihil de eodem Baptifmate, & ipfe nihil agit *de Baptifterio*; & fic in reliquis.

Cæterùm recentiorum, quas adduximus, rationes, quibus *in Baptifterio Conftantiæ*, ipfius *Maufoleum* ftatuere conantur, facilè diluuntur; Ciampinius enim dicit, cùm antiquitùs *Baptifteria* feorfim ab Ecclefiis ædificarentur, nullum aliud ædificium fe reperire potuiffe, quod aptiùs ad ufum *Baptifterii* effet, quàm S. *Conftantiæ* Ecclefiam; & ideò eam primùm ejusdem *Baptifterium*, poftmodùm *Maufoleum* extitiffe, fe exiftimare profitetur. Verùm licet & nos fateamur, antiquitùs *Baptifteria* feorfim ab Ecclefiis ædificari confueviffe, & infuper nullum aliud modò extare ædificium, quod aptiùs ad ufum *Baptifterii* confpiciatur, quàm Ecclefiam *Conftantiæ*; nihilominùs negamus, quod infert, nimirùm priùs fuiffe ipfius *Baptifterium*, deindè *Maufoleum*; nàm aptitudo ad aliquid

non

non efficit, ut aliquid ſit id, ad quod eſt aptum, quia ſecundùm Philoſophum, à potentia ad actum non valet argumentum; quapropter non benè deducitur, quia *Conſtantiæ Mauſoleum* eſt aptum ad *Baptiſterium*, ergò fuit *Baptiſterium*; nàm quod ex hoc elici poteſt, eſt, quod modò *Baptiſterium* iſtud non extet, quia nimirùm non reperitur, non verò oppoſitum, quod ſcilicet non reperiatur, quia non extiterit; quamobrem, cùm exiſtere potuerit *Baptiſterium* idem, licet modò non reperiatur, fruſtrà ideò educitur, *Mauſoleum* fuiſſe *Baptiſterium*, quia nempè *Baptiſterio* aptum modò tantùm *Mauſoleum* invenitur.

Quænàm verò fuerit iſta aptitudo *Mauſolei* ad *Baptiſterii* uſum, pluribus oſtendere videntur Olaus Borrichius, & Famianus Nardinus ſuper allatis verbis, quibus demonſtrant, ſphæricam eſſe, ſeu rotundam ipſius Eccleſiæ S. *Conſtantiæ* formam. Nàm quod ipſa ad uſum Eccleſiæ conſtructa non fuerit, apertè prodit (inquiunt) ejus temporis praxis, quæ fuit, ut minimè ſphærico ſchemate Eccleſiæ eveherentur; *Conſtantiæ* igitur Eccleſia, priùsquàm verè Eccleſia Chriſtianorum eſſet, (addunt) fuit aliquid aliud; at nil meliùs eſſe potuit, quàm *Baptiſterium*, de quo ut ſupra Anaſtaſius; ſicut enim Magnus Conſtantinus propè Lateranum ſuum ſibi excitavit *Baptiſterium*, ità profectò & aliùd, in quo ſacris undis expiaretur *Conſtantia* filia, juxtà S. Agnetis Baſilicam fabricaſſe cenſendum eſt.

Ut ſupra.

Verùm facilè corruunt hujusmodi argumentationes ex iismet rationibus, quibus præfati innituntur Scriptores: Ultrò enim illis assentimur, quod sphæricà formà eo tempore Ecclesiæ non fabricarentur, ultrò etiam concedimus, *Constantiæ* Ecclesiam aliud extitisse, priùsquàm Deo in ejus honorem, ut modò est, dicata fuerit; immò mendi arguimus allata *Constantiæ* Vallicellana Acta, quæ referunt, eidem à patre, & fratribus Ecclesiam fabricatam; nàm revera *Mausoleum Constantiæ* in Ecclesiam consecratum non fuit, nisi ab Alexandro IV. anno Redemptionis nostræ 1256., sed tamen ex his præmissis deduci non posse, quod fuerit *Baptisterium*, constanter affirmamus: quamvis etenim (ut supponunt) rotundà formà Ecclesiæ tunc non extollerentur, hinc tamen non sequitur, quod sola *Baptisteria* rotundo schemate fuerint edita; nàm pari formà erecta quoque fuisse *Mausolea*, quæ supra *de Mausoleo Helenæ* à Constantino excitato diximus, satis declarant. Cùm igitur hæc S. *Constantiæ* Ecclesia, priùsquàm ut talis consecraretur, *Mausoleum* ipsius esset, ruit procul dubio, quod laudati Scriptores opinati sunt, nempè fuisse anteà (quia rotundà formà fabricata) ipsiusmet *Baptisterium*; nàm cùm eadem architectonica figura consentanea fuerit & *Mausoleo*, *Mausoleum* potiùs Ecclesiam hanc, quàm *Baptisterium* extitisse, ducere oportet.

Quod si adhùc urgeant, emendicato exemplo à *Baptisterio* propè Lateranum constructo, Constan-

tinum

tinum propè Agnetis Basilicam *Baptisterium* aliud pro filia extulisse; & nos fatemur in hoc loco *Baptisterium* erectum; sed ejusdem Augusti validiori innixi exemplo, eodem tempore testamur, quod *Mausoleum* filiæ rotundi schematis evehere à fundamentis debuit juxtà S. Agnetis Basilicam, qui juxtà eam SS. MARCELLINI, & PETRI *Helenæ* matri aliud erexit; & quod sicut id, *Helenæ Baptisterium* non fuit, priùsquàm illius evaderet *Mausoleum*, ità *Constantiæ Mausoleum* nunquàm ejus extiterit *Baptisterium*. Et ubinàm in Ecclesiasticis illius ævi monumentis reperiri unquàm contigerit, *Baptisteria* in *Mausolea* conversa, aut in *Baptisteriis* defunctorum corpora sepulturæ tradita fuisse? Si igitur nec unico exemplo rem hanc testari queunt, fateantur necessè erit, *Constantiæ* Ecclesiam nil aliud anteà extitisse, quàm ipsius *Mausoleum*, quod juxtà Agnetis Basilicam Constantinus extrui voluit, eo ipso consilio, quo juxtà SS. MARCELLINI, & PETRI *Basilicam* aliud *Helenæ* matri, ut diximus, evehi mandavit.

CA-

CAPUT XII.

Conſtantiæ Mauſoleum, *non ex ethnico ſacrum, ſed à fundamentis excitatum contra nonnullos oſtenditur.*

EOdem penè modo etiam ſententiæ reiiciuntur illorum, qui ejusdem *Conſtantiæ Mauſoleum* non à fundamentis, ut illud *Helenæ*, à Conſtantino ædificatum, ſed tantùm ex ethnico ritu ad Chriſtianum translatum ab ipſo Principe arbitrati ſunt, inter quos præcipuus enumeratur ſupra laudatus Ciampinius, cujus opinationibus nunc reſpondere pro viribus aggredimur.

Ciampin. de ſacr. ædificiis Conſtant. c. 10 pag. 132.

Cenſet ſiquidem ipſe, (ut Lector audiſti) quod in *Conſtantiæ Mauſoleo* ſtructura, columnæ, capitula, & baſes perelegantis architecturæ ævo Conſtantini repugnent, eo quia ea tempeſtate plurimum veteris decoris, ac venuſtatis architecturæ perierat, ut fabricæ ipſius tempore excitatæ ſat docent.

At, pace tanti viri, licet generaliter de illius ævi operibus judicium hoc ſtatui poſſit, tamen de ſingulari opere, regia munificentia conſtructo, uti iſtud fuit *Mauſoleum*, & illud *Helenæ*, aliud procul dubio decernendum eſt; quamvis enim deperditæ artes fuerint tempore Conſtantini, nihilominùs cùm Cæſarum ille Maximus univerſum penè Orbem ſub Imperio ſuo redegerit, mirum dictu, ſi inter tot mil-

lia millium hominum aliquos afferatur haud habuiſſe optimos artifices, quorum potiſſimùm operâ in tot conſtruendis ædificiis uteretur; undè etiam optimos iſtos in eis præcipuè elaborandis, quorum maxima cura cordi Principis erat, omnem movere lapidem, omne adhibere ſtudium, ut undique perfectiſſima evaderent, neglexiſſe credatur.

Nec obſtant è Seſſoriana Baſilica, & Arcu ipſi Conſtantino dicato ab eodem Ciampinio petita exempla; quia nempè in illa columnæ, capitula, & baſes diſpares ſunt, cujus cauſa fuit, piiſſimum Principem prophana ædificia demolitum, ex eorum ruinis nova, veroque Deo dedicanda Templa excitaſſe; & in Arcu triumphali evehendo ipſi Imperatori, elegantiores ſtatuas, ſimiliaque anaglyphica opera è Trajani Arcu deſumpta fuiſſe; ex quibus egregius idem Scriptor inferre conatur, ſæculo illo plurimum veteris decoris, ac venuſtatis periiſſe, ac per conſequens elegantiam *Mauſolei Conſtantiæ* rudi illius temporis ingenio repugnare. Hæc, inquam, nihil officere compertum eſt; nàm (relictis innumeris, quas ad rem afferre poſſemus, rationibus) ex eo quod Seſſoriana, & aliæ Baſilicæ à Conſtantino conſtructæ ex prophanorum ædificiorum fragmentis eductæ fuerint, non benè infertur, omnia ædificia, à Conſtantino excitata, ex prophanorum demolitione prodiiſſe, quaſi ex novo aliquid nunquàm ædificaverit. Ex antiquis utique nova produxit, ſed nequaquam omnia; nàm & ipſe idem multa fecit nova,

Ciampin. ut ſupra.

quæ

quæ ex antiquis non eduxit. Arcus verò ille triumphi Constantino dicatus, Constantini opus non fuit, sed Populi, Senatusque Romani, qui præ temporis angustia novis statuis, anaglyphicisque operibus nequiens, post mortem Maxentii tyranni, qui innumeris crudelitatibus Romam vastaverat, novo Urbis statìm occurrere liberatori, ut Arcum illum triumphi excitaret, è Trajani Arcu statuas, & alia mutuari, aut decerpere coactus fuit.

A musivorum operum diversitate, quæ in *Constantiæ Mausoleo* inspicitur, in priori sua sententia se confirmatum fuisse testatur insuper Ciampinius; nàm cùm operum ipsorum pars pereleganti minerva compacta sit, secùs altera; hæc varietas, inquit, temporum etiam varietatem designat. Existimat igitur Templum hoc potiùs, sive Baccho, sive alii falso Numini sacrum olìm fuisse, posteà verò à Constantino in *Baptisterium*, ac deindè in filiæ sepulcrum conversum. Sed ex hujusmodi diversitate haud innui, quod ipse existimat, experientia teste docemur; nàm uno, eodemque tempore opus item unum elaboratum esse potest, sed ab impari artifice, cùm artifex unus in eodem opere, altero præstantior passim reperiatur; illatio iccircò Ciampinii non sequitur: musivum opus *Mausolei* diversum est, igitur diverso tempore elaboratum, Bacchi igitur Templum postmodùm *Constantiæ Baptisterium*, & sepulcrum: ex tali antecedenti quænam est ista consequentia? Ut data opera etiam prætereamus, musivuum idem opus iterum,

Ciampin. ut supra.

rùm, atque iterùm reſtauratum eſſe potuiſſe longè poſt Conſtantinum, & per conſequens per alium artificem ab eo, qui primùm id elaboraverat; nàm diverſitas hæc æquè poſt Conſtantini tempora evenire potuit, ac anteà, immò veriſimiliùs Conſtantino poſterior habenda eſt.

Opinationes deindè ſecutus Aringhii Ciampinius, eadem tùm muſiva opera *Mauſolei*, tùm porphyreticæ Urnæ *Conſtantiæ* aliud non exhibere, quàm Gentilium Genios aſſerit, aut quid ſimile, Idololatriam redolens. Sed facilè Olaus Borrichius, & Raphael Fabrettus ſuppoſitiones hujusmodi refellunt; primus enim, ubi de uvis, quæ in muſivo *Mauſolei*, vel in ſarcophago porphyretico ſculptæ cernuntur, diſſerit: [Quid uvis preſſis, inquit, „ obducet aliquis, cum nomine Chriſtiano? Immò „ hoc, velut ſacro hieroglyphico docebant, ſe in „ morte quidem, ad inſtar uvarum calcari, atteri, „ abiici, ſed ex attritis tamen, conſumptisque ſuis „ corporibus immortalem prodire animam, ſicut ex „ attritis, preſſuque exhauſtis uvis vina generoſiſ- „ ſima ſolent prolectari. Videas & frequenter Chri- „ ſtianorum ſepulcris inſculptum cum balena Jo- „ nam, in ſpem cum Jona olim ſuperas in auras „ evadendi. Quin & Aquisgrani cum marmoreo „ monumento Caroli Magni Principis utique, ſiquis „ unquam, Chriſtiani, raptum Proſerpinæ affabrè „ inſculptum conſpicarer].

Ciampin. ut ſupra p. 138.

Olaus Borrich. de antiq. Urb. Romæ facie cap. 7.

Et vir rerum Romanarum peritiſſimus Fabret-

I

brettus, cui eruditissimus Joannes Mabillonius adhæsisse Ciampinii opinioni visus est, de his ipsis musivis operibus, & sculptis in Urna porphyretica *Constantiæ* imaginibus, sic loquitur: [At postquàm de „ optimo, mihique pluribus titulis venerando Pa„ tre Mabillonio querimoniam habere coactus sum, „ eodem animo ergà tantum virum benigno, & „ miti conqueri adhùc opus est, quod nimium sanè „ promptus sit, ut Paganici ritus suspicionem inve„ niat, ibi quoque, ubi nonnisi per vim (ut sic „ loquar) res ad Paganismum detorqueri possit. „ Exemplum porrò in Templo S. *Constantiæ* (seu „ Constantinæ illud dici debeat) post primum la„ pidem Viæ Nomentanæ ponit, de quo hæc ait „ pag. 84. sui Itiner. Italici: [Vas ingens porphy„ reticum, quod penè Altare in angulo modò cer„ nitur, olìm in medio erat, continebatque Corpus „ S. *Constantiæ*. Octo pedes longitudinis, plures „ altitudinis habet. In ipso vase, atque in fornice „ ex musivo passim exhibentur Genii uvas deme„ tentes, ferentes, & calcantes; undè Bacchi sepul„ crum, & Fanum esse, plerisque persuasum est]; „ paulòque post: [Itaque *Constantiæ*, seu Constan„ tinæ *Mausoleum* illud ipsum est, quod hodie con„ spicitur ad Basilicam S. Agnetis, quod cùm à Pa„ ganis fortè Architectis constructum fuerit, non „ mirum, si quid Paganici ritus in fabricæ orna„ mentum admiserint].

Raph. Fabr. de Antiqu. Inscription. pag. 565.

Jo. Mabill. ut supra.

Ut supra.

„ Atqui memineris, P. Religiosissime, vitem, vinde-

„ vindemiamque ipſam inter præcipua, & frequen-
„ tiora Chriſtianorum monumentorum ornamenta
„ locum habere, ut P. Aringhius lib. 6. cap. 45. *Aring. R. m. ſubterr. t. 2. lib. 6 cap. 45.*
„ pleniſſimè admonet. Quodque rem conficit, ad
„ latus dexterum ſarcophagi Junii Baſſi, quod in
„ cryptis Vaticanis cuſtoditur, Novi, ac Veteris
„ Teſtamenti Myſteriis referti, in cujus labro unica
„ linea hæc inſcriptio legitur:

IVN. BASSVS, QVI VIXIT ANNIS XLII.
IN IPSA PRAEFECTVRA VRBI NEO-
PHYTVS IIT AD DEVM VIII. KALEN.
SEPT., EVSEBIO, ET YPATIO COSS.

„ cædem puerorum in operibus vindemiæ variè la-
„ borantium figuræ ſculptæ ſunt, eàdemque fermè,
„ ac in alio *Conſtantiæ* ſarcophago, ætate (nàm non
„ majori, quàm 22. annorum intervallo diſtat obi-
„ tus Conſtantini, qui *Conſtantiæ* filiæ Templum
„ ædificavit, à Junii Baſſi Præfectura, & morte),
„ & proindè, quæ in Baſſi ſepulcro Chriſtianæ pie-
„ tati conſona nemo negaverit, eadem in contem-
„ poraneo *Conſtantiæ* conditorio ad Paganiſmum
„ amandari non convenit].

Et alibi idipſum confirmans: [Anchora ex uno *Idem Fabrett. p. 581.*
„ latere, dicit, quam eſſe Chriſtianæ fiduciæ ſignum
„ ſupra ad Inſcriptionem T. Fl. Senilis oſtendimus,
„ expoſcit, ut vitis ex oppoſità parte non inaniter,
„ ſed myſteriorum adumbrandorum causà ſit efficta

a Aringh. ubi supra.

„ (ut Aringhii verba usurpem, apud quem pluribus „ rem probatam invenies lib. 6. cap. 45.); undè „ miror iterùm, virum insigni non minùs doctrinà, „ quàm pietate, eò erroris dilapsum, ut ornamenta „ Templi *Constantiæ*, seu Constantinæ Via No- „ mentana aliquid Paganici ritus præseferre dixerit, „ eò quia in admirandà illà porphyreticà Urnà, & „ in fornice arcuato vites racemiferæ, quali, corbes, „ aliaque vindemiæ instrumenta exprimantur].

Sic Fabrettus jure arguit asserentes tam musiva opera, quàm sculptas in sepulcro *Constantiæ* imagines Gentilitatis plurimum sapere. Cæterùm hujusmodi quæstiones, quas Christianam antiquitatem perlustrantes passim agitare consuevere, symbolicas figuras Fidelium, & Martyrum sepulturis insculptas, Gentilitati adscribentes, futiles esse, & vanas, unico tandem irrefragabili teste evincere sufficiat, isque sit nobilissima, & inclyta Virgo, & Martyr Cæcilia. In Actis siquidem ejus omni fide dignissimis, ubi de Sancti Maximi Cubicularii, & Martyris sepultura sermo incidit: [Quem Sancta „ (dicitur) Christi Martyr Cæcilia, cùm posuisset „ proximè Sanctos Dei Martyres Tiburtium, & Va- „ lerianum, deposuit in Arca, & jussit, ut in Arca „ ejus insculperetur *Phœnix*, ad ostendendam ejus „ fidem, qui se inventurum esse resurrectionem „ *Phœnicis* exemplo admiserat]. Quid præstantiùs pro veterum Christianorum symbolorum defensione excogitari potest, quàm Martyris, & tantæ Marty-

Apud Sur. to. 6. in vita, & martyrio S. Cæciliæ pag. 512.

ris

ris exemplum? Quod verò *Phœnix* celeberrimus fuerit resurrectionis typus, eoque ad resurrectionem probandam uterentur antiquissimi Patres, testatur Spondan. de Cœmeter. libro 1. parte 3. cap. 3. num. 5.

Spondan. de Cœmet. lib. 1. par. 3. cap. 3. num 5.

Nihilominùs adhùc urget Ciampinius, & existimans Baccho dicatum Templum ab aliquo ex Proceribus, suam hanc conjecturam confirmari declarat ex quibusdam Bullis è collo pendentibus puerorum, qui in fornice, vel in Arca *Constantiæ* expressi conspiciuntur; nàm cùm Bullæ hæ insigne Nobilitatis essent, indicant iccircò pro Proceribus locum constructum fuisse. Sed ex hoc quid infert Ciampinius? Locus pro Proceribus ædificatus, pro Proceribus igitur Gentilibus? Absit. Cùm enim Bullæ essent insigne civile Nobilitatis, non ideò erant & religionis; nam aliud erat in ipsis Paganis, quod religionem exhibebat, aliud, quod sanguinis Nobilitatem, aut statum, aut prærogativas exprimebat. Cùm igitur civile id insigne esset non superstitionis, sed conditionis, æquè usurpari potuit, ut à Gentilibus, etiam à Christianis; & meritò usurpari debuit in ornatu, vel sepulcri, vel *Mausolei* nobilissimæ Virginis, uti fuit *Constantia*, à Magno patre ejus Constantino.

Ciampin. de sacr. ædificiis Constant c. 10 pag. 133.

Pari ratione refellenda est etiam conjectura alia, ab ipso Auctore expiscata ex ollis, quas se observasse dicit in porphyretica Urna ipsiusmet *Constantiæ*; nàm eædem ollæ, inquit, nil aliud denotabant,

Idem ut sup.

bant, nisi ossuarias ollas, in quibus cineres, & cadaverum ossa reponebantur. Verùm licèt responderi posset, non ad aliquid significandum, sed simpliciter ad ornatum eas, vel similes imagines in Arca porphyretica, & in *Mausoleo* positas, uti etiam modò solemus, dùm vel in cubiculis, vel in rhedis ad simplicem ornatum multa his similia vel depingi, vel scalpro incidi volumus; tamen sepulcralia hæc insignia ad decorem apposita, etiamsi ipsis uterentur Pagani, minimè fuisse superstitiosa opinamur; ostendebant siquidem tantùm morem, quo veteres mortuorum in eis ossa, & cineres recondebant, in quo sanè nihil superstitiosi inesse potuit. Pro temporum enim qualitate Romani, editis legibus de sepulturis cadaverum, varia diversimodè mandarunt, quibus parère sicut superstitiosum non fuit, multò minùs repræsentare, quod ab ipsis legibus imperatum, vel usu civili introductum, ethnicum, & Gentile erit judicandum.

Spondan. de Cœmet. lib. 1. par. 1. cap. 8.

Ciampin. ut supra.

Iccircò quæ subjungit Ciampinius, expostulato exemplo à veterum Furiorum sepulcro in Monte Tusculano reperto, ex quo colligit, quod magna Arca non unum, sed plura ejusdem familiæ cremata cadavera in se contineret in præfatis ollis, nullius ferè momenti ad rem nostram habenda sunt. Non enim, quia ollæ (ut supponit) ossuariæ, scalpro in Arca *Constantiæ* sculptæ; ideò plures ollæ cum cineribus plurium defunctorum in ipsà; nec quia, ut illa Furiorum, ingentis molis, ideò plura cremata cadavera

vera

vera recondita in eà. Ejusdem, immò majoris amplitudinis (ut ipſemet fatetur) fuit, & usque modò conſpicitur Arca *Helenæ*, igitur plura cadavera cum eà tumulata? igitur omnis ejus familia cum ipsà condita? Ad quid ergò Conſtantinus Conſtantinopoli aliud ſibi prælegit ſepulcrum, & aliud, de quo loquimur, *Conſtantiæ* filiæ Via Nomentana excitavit? Licet enim ex Ammiano Marcellino percipiatur, Conſtantinam, alteram Magni Conſtantini filiam Hannibaliano primùm, deindè poſt ejus mortem Gallo Cæſari Juliani fratri nuptam, quæ vivente altero marito, Bithyniæ vi febrium abſumpta eſt, ſepultam fuiſſe in ſuburbano Viæ Nomentanæ, ibidemque etiam conditam Helenam Juliani uxorem, non tamen hinc ſequitur, in eodem porphyretico Virginis *Conſtantiæ* ſepulcro tumulatas fuiſſe, vel ex eo quod ollæ oſſuariæ in ipſo ſculptæ conſpiciantur, vel quod ingentis molis extiterit; nàm cùm hæ Chriſti fidei nomen dediſſent, gentili ritu ſepultas fuiſſe nullo indicio probatur. At poſito etiam, quod in eodem ſarcophago, crematis corporibus, in oſſuariis ollis conditæ fuiſſent, quid quæſo ex hoc eliciendum eſſet? Fuiſſe forſitan, ut vult Ciampinius, priùs ethnicum hoc monumentum? vel meliùs ad continendos plurium harum mulierum cineres ingenti amplitudine à Conſtantino data opera ſic evectum?

Amm. Marcellin. lib. 14. cap. 21., & lib. 21. cap. 1.

Nihilominùs in ſua ſententia perſiſtens Ciampinius idem, nil intentatum reliquit, quo vel ex-

Ciampin. ut ſupra.

preſſa

pressa nostræ Religionis insignia ex *Mausoleo Constantiæ* adimeret; dùm cruces quasdam, quas in eo intueri licet, non triumphale Redemptionis nostræ vexillum, sed, ut apud Ægyptios, quatuor denotare elementa, ut suaderet, insudavit. Veruntamen levissimas has conjecturas diluere haud difficile reperitur; non enim, quia apud Ægyptios signum crucis elementa designabat, necessariò idipsum ideò significabat apud Romanos; & licèt plura ex Ægyptiis symbola decerpserint Romani, non tamen ex hoc probatur, quod omnia susceperint; si verò non omnia susceperunt, sed tantùm nonnulla, non est certè undè inferatur, hoc quatuor elementorum signum inter alia prælectum, & ex hoc in *Constantiæ Mausoleo* vera Crucis imago abnegetur.

Ciampin. ut supra. Validiori tamen argumento sententiam suam tueri arbitratus est, ex eo quod observavit, nempè S. *Constantiam* anno 354. decessisse, Constantinum verò anno 337., & per consequens illam post patris obitum annos septemdecim vitæ suæ cursum implevisse; undè necessariò inferendum pronunciat, Arcam prædictam non solùm paulò antè S. *Constantiæ* mortem, sed longè anteriùs fuisse sculptam, nempè in iis sæculis, in quibus bonæ florebant artes, ut ejusdem cælatura demonstrat. Cùm primò hanc Ciampinii conjecturam properatò lectitaremus, planè aliud innuere voluisse ab eo, quod revera ipse inferre excogitavit, putabamus; nempè eum ex hoc elicere

elicere voluisse, quod cùm obiisset longè post Constantinum *Constantia*, à veritate alienum iccircò videbatur, patrem de cadavere filiæ recondendo sollicitum esse potuisse; quapropter falsò vel *Mausoleum*, vel Arca *Constantiæ* à Constantino exornata enarraretur. Quas haud penitùs spernendas rationes retundere cogitavimus, vel auctoritate Actorum S. Agnetis, in quibus dicitur, quod *Constantia* ipsius Sanctissimæ Virginis miraculo sanitati restituta, patrem, & fratres Augustos rogaverat, non tantùm ut Basilicam Beatæ Agnetis construerent, sed etiam, ut sibi illìc *Mausoleum* suum collocaretur; vel exemplo ipsiusmet Constantini, qui suum sibi antè mortem Constantinopoli in porticu Basilicæ SS. Apostolorum sepulcrum paraverat; undè deducebamus, ritè *Constantiam* obtinere potuisse diù antè obitum suum ab optimo parente sepulcrum, cùm piissimus ipse Princeps vivens proprio condendo tam enixè studuisset. *Ut supra.*

Verùm, cùm non cursim, denuò hanc eruditi viri conjecturam percurreremus, aliud profectò ejus animo insedisse, ac indè inferre aliud voluisse vix percepimus: haud enim facilè est intellectu, quid opinari voluerit ex eo, quod *Constantia* septemdecim annos post patris obitum mortua fuerit; dùm ex hoc necessariò inferendum ducit, Arcam porphyreticam ejus, non solùm paulò antè ipsius obitum, sed longè anteriùs fuisse sculptam, nempè iis in sæculis, in quibus bonæ florebant artes: nàm si intelligere voluit hoc loquendi modo, Arcam ipsam non à Con-

ftantino conftructam, fed tantùm ex Gentili ritu in fepulcrum *Conftantiæ* converfam; huic commutationi nihil contulit certè, *Conftantiam* fuperftitem Conftantino fuiffe, & Conftantinum antè *Conftantiam* obiiffe, dùm æquè converfio hæc ab ethnico ad facrum effici potuit vivente Conftantino, ac ipfo defuncto, immò vivente ipsà *Conftantià*, ac eàdemmet mortuà ab iis, qui eidem fuperftites fuere. Si verò ex operis decore educere intendit, elaboratam Urnam effe nequiiffe eo tempore, quo *Conftantia* obiit, poft Conftantinum annos feptemdecim, quia nempè tunc, ut in prioribus fæculis, bonæ artes non vigebant; cùm, juxtà ipfum, jàm tempore Conftantini plurimum veteris decoris, ac venuftatis architecturæ, & artium periiffet, ac per confequens eadem fermè ratio militet de ævo *Conftantiæ*, & Conftantini; quid profectò ex hoc, quod *Conftantia* poft Conftantinum, & Conftantinus antè *Conftantiam* obierit, deducatur, haud intelligere valemus.

Ciampinus fupra.

Tamen fatis fuperque in fuà fe firmari fententià teftatur ex eo, quod infuper eundem effe opificem tam mufivi operis, quàm etiam Arcæ marmoreæ arbitretur; & id deducit ex figurarum tùm uniformitate, tùm elegantià, quæ cùm alia tempora fapiat, quàm Conftantini, iccircò neque Templum, neque Arcam Auctorem Conftantinum agnofcere cenfet; quibus addit, quod fi eodem elaborata fuiffent tempore, à veritate videretur alienum, Conftantinum, dùm *Baptifterium* ædificaret, eodem tempore pro filiæ

filiæ suæ cadavere recondendo sarcophagum excitasse; quapropter tam ipsum ædificium, quàm Arcam inter Constantini opera haud reponenda iudicat.

Postremam hanc tùm Ciampinii, tùm aliorum suppositionem, qua unum, & idem *Baptisterium Constantiæ*, ejusque *Mausoleum* censuere, jàm supra rejecimus. Pari verò ratione respuendum esse quoque, quod colligit Ciampinius idem ex elegantià, & uniformitate tam musivi, quàm etiam Arcæ marmoreæ *Constantiæ*, liquidò patet: cùm enim hinc inferat, eundem fuisse opificem tam musivorum, quàm cælaturæ sarcophagi, quis non videt, conjecturam hanc nullius esse prorsùs momenti, immò vanam? Quid enim Sculptores cum musivorum confictore? Uniformitas sæpè sæpiùs reperitur in uno genere artis, exempli gratia architecturæ, picturæ; nec tamen indè colligi potest, totum unum opus ab artifice uno elaboratum, eò quod nimirùm elaborari à pluribus unius artis peritis, sæpè numero contingat; quanto igitur magis corruit conjectura Ciampinii in tam diverso opificio, quale est illud sculptoris, & musivorum artificis? Quod si ex uniformitate, & elegantià utrumque opus, musivum videlicet, & sculptum antè tempora Constantini adhùc uno opifice absolutum, persuasum est Ciampinio; hoc ipsum labefactare ejus conjecturam cognoscitur; nàm cùm duos simùl perfectos singillatìm, aut in musivo conficiendo, aut in cælatura

opinari potuisset, ad proculcandam tamen propriam sententiam, unum tantùm in utroque perfectissimum opificem statuendo, incredibile quoddam se excogitasse monstravit.

Ciampin. ut supra p. 134. Explicat deindè Ciampinius verba Actorum *Constantiæ*; (quia, uti jacent, ipsius sententiam evertunt) nàm in iisdem dicitur: [quod Ecclesia „ columnis, & musivo de lapidibus decorata, in „ ejus honorem *fabricata* est]; ideòque cùm ipsè velit, *Mausoleum*, seu *Ecclesiam Constantiæ* non fabricatam, sed in ejus honorem tantùm ex Gentili conversam, iccircò cogitur verbum illud *fabricare*, aliter, quàm sonat, interpretari, dicens, Grammaticorum esse vocibus tenaciter adhærere; at mitiùs cùm Oratoribus, Historicisque agendum, quia isti nimirùm quandoque figuratè loquuntur. At meminisse certè debuerat vir eruditus, non tantùm Grammaticos inter, atque Oratores, & Historicos, sed inter Historicos quoque, & Oratores discrimen magnum interesse; aliud est enim Historia (ut de Grammaticà datà operà rudem nimis, ac nullius momenti quæstionem prætermittamus) aliud Oratio, nec quamvis narret Oratio, ideò dicenda est Historia, nec Historia, si, ut decet, intrà suos limites contineatur, Oratio unquàm nuncupanda est; nàm *Cicer. lib. 1. de Offic.* Oratoris proprium est, juxtà Tullium, ornatè loqui; *Ludov. Vives lib. 2. de caus. corrupt. art.* Historiam verò purissimam decet esse imaginem veritatis: est autem imago ea absolutissima, quæ rem neque majorem, neque minorem reddit (uti nimi-

nimirùm figuræ faciunt); non ut umbræ in ortu, & occasu Solis longissimæ, in meridie propè nullæ. Historici quippè rei ordinem servant, & materià utuntur præparatà; Oratores verò multa invergunt, & fingunt; quapropter Plinius ad Capitonem: „ [Habent Oratio, inquit, & Historia multa com- „ munia, sed plura diversa; in iis ipsis, quæ com- „ munia sunt, narrat illa, narrat hæc, sed aliter; „ huic pleraque humilia, & sordida, & ex medio „ petita, illi omnia recondita, splendida, excelsa „ conveniunt; hanc sæpiùs ossa, musculi, nervi, „ illam chori quidam, & quasi tubæ decent; hæc „ vel maximè vi, amaritudine, instantià, illa tra- „ ctu, & suavitate, atque etiam dulcedine placet; „ postremò alia verba, alius sonus, alia constru- „ ctio].

Lucianus.

Plin. lib. 5. ad Capiton., vel, ut alii, ad Tacitum.

At obiiciet Ciampinius in Ecclesiasticis Historiis aliter rem se habere; nàm in ipsis exempli gratia vox *fecit* in Pontificali libro pro *ædificare* semper accipienda minimè est, immò sæpè pro *restaurare*, vel *dedicare* intelligenda venit. Verùm primò respondendum est, quod hìc non de voce *fecit*, sed *fabricavit* differimus; deindè quod si indistinctè etiam vox *fabricavit* pro *fecit* aliquando usurpari consuevit, igitur individualiter non potest hìc intelligi pro *dedicavit*, quia nimirùm, cùm in utrumque sensum accipi possit, nullà alià hìc urgente ratione non est aliter accipienda ab eo, quod sonat.

Ciampin. ut supra.

Ab interioribus Ecclesiæ S. *Constantiæ* ornatibus,

tibus, ut alia fibi vindicet argumenta ad fuam ftatuendam fententiam, ad alios amovibiles ornatus in eàdem olìm extantes Ciampinius deindè progreditur, nempè ad marmorea quædam candelabra, quæ in eàdem Ecclefià S. *Conftantiæ* olìm extitiffe, poftmodùm ad illam S. Agnetis translata fuiffe arbitratur; ex iftorum fiquidem anaglyphicis operibus toti fabricæ confimilibus deducens, & eodem tempore, & in ejusdem fabricæ ufum fuiffe conftructa: Si igitur (deindè fubjungit) pro dictæ fabricæ ufu elaborata effe concedatur, videtur etiam dicendum, Templum hoc non ad *Baptifterii*, in quo candelabra minimè requiruntur, fed ad Templi ufum fabricatum.

Ciampin. ut fupra.

Sed & una cum aliis, uti leviffimam habendam effe hujusmodi conjecturam, apparet; efto enim, quod candelabra hæc uniformia fint toti fabricæ, quod infuper in ipfius tantùm fabricæ ufum fuerint exornata; minimè tamen hinc educendum erat, elaborata fuiffe eodem tempore, quo Ecclefia *Conftantiæ* excitata eft: in ufum quippè fabricæ uniformia conftructa effe potuerunt, nec tamen neceffariò eodem tempore, quo Ecclefia fabricata fuit; nàm poftquàm *Maufoleum* in Ecclefiam commutatum eft, ut infrà dicetur, ipfa quoque exornari potuerunt. Quid fi diceres exempli gratia in Bafilica Vaticana fornix, apfis, porticus, infuper candelabra, cruces uniformia funt; nùm ex hoc benè deduceres, quod unà cum fabricà, & eodem tempore exor-

exornata fuissent? Ex his infert etiam; quod cùm ad *Baptisterium* candelabra nequaquàm spectare possint, & cùm ipsa eodem tempore facta fuerint, quo Templum, Templum idem, & candelabra priùs extitisse, quàm *Baptisterium*, & ideò non à fundamentis à Constantino evectum, sed tantùm ethnicis superstitionibus expurgatum. At cùm nos *Mausoleum Constantiæ* ipsius unquàm *Baptisterium* fuisse diffiteamur, & ex uniformitate tempus minimè inferri posse statuamus, hæc omnia, ut patet, spontè sua corruunt.

Sic pari modo aliud etiam, quod subjungit, argumentum deturbatur. Ab exteriori siquidem porticu, quam antè *Constantiæ Mausoleum* extitisse dicit, conjicit fuisse priùs alicujus falsi Numinis delubrum, nàm *Baptisterium* nullum, porticum habuisse reperimus. Respondemus enim, *Baptisterium* esse non potuisse, nec tamen indè inferendum, Idolorum fuisse Fanum, sed *Mausoleum*, eo quod *Mausolea* porticus habere consueverant, ut evidenter deprehenditur ex nostro *Helenæ*, quod & ipsum porticum habuit, cujus adhùc, licet exilia, conspiciuntur vestigia. *Ciampin. ut supra p. 135.*

Ex his, prolixiori forsitan, quàm opus erat, stylo, exaratis certò comperimus, *Mausoleum Constantiæ* non ex ethnico sacrum, non ex *Baptisterio Mausoleum*; sed à fundamentis uti *Mausoleum* à Magno Constantino juxtà Basilicam Sanctæ Agnetis *Constantiæ* filiæ fuisse excitatum, & eodem consilio,

quo

quo matri *Helenæ* juxtà noftram SS. MARCELLINI, & PETRI *Bafilicam* aliud evexerat. In fphæricà fiquidem formà ambo *Maufolea* ifta conveniunt, in porticu quoque, & fimiliter in Urnis ex porphyrete, de quibus idem Ciampinius (licet impropriè fepulcrale labrum *Maufoleum* nuncupet) hæc profert: [*Maufoleum* hoc (fcilicet *Conftantiæ*) amplitudine ferè illi Beatæ *Helenæ* æquale eft, quod in Ecclefià SS. PETRI, & MARCELLINI retulimus]. Undè multò magis miramur, eruditum virum, cùm nihil hæfitaffet, afferendo *Helenæ* porphyreticum fepulcrum a Conftantino fuiffe conftructum, adeò poftmodùm infudaffe, ut *Conftantiæ* aliud ipfi Principi abriperet; cùm præfertìm neceffariò animadvertere debuiffet, quod fi *Helenæ* fepulcrum ex imaginibus non facris in eo cælatis refpuendum non fuerat, pari modo ex fimilibus cælaturis *Conftantiæ* aliud abnegandum non erat.

Ciampin. de facris ædific. Conftantin. c.10. pag. 130

Si igitur in formà fphæricà, in porticu, in Urnà, *Helenæ*, & *Conftantiæ* ædificia conveniunt, nemo negare haud poterit, ea aliud fuiffe, quàm quæ diximus, unius juffu Principis exornata *Maufolea*; nemo non afferere valebit, *Helenæ* illud Sanctorum Martyrum MARCELLINI, & PETRI falsò Bafilicam nuncupari; & demùm nullus ambigere poterit, quod ficùt illud *Conftantiæ* juxtà Agnetis Bafilicam conftructum fuit, ità non alibi, quàm juxtà *Bafilicam* MARCELLINI, & PETRI, *Helenæ Maufoleum* à Conftantino fuerit fabricatum.

CA-

CAPUT XIII.

Restaurationes Basilicæ *SS.* MARCELLINI, *&* PETRI Vià Lavicanà *extrà Urbem recensentur*.

VEnerabilem hanc SS. MARCELLINI, & PETRI *Basilicam Vià Lavicanà* extrà Urbem, ejusque verendum Cœmeterium Pontifices Maximi summo honore semper coluere, & ideò cùm temporis edacitate, primævi decoris, quo à Magno Constantino insignita fuerat, non modicam pertulisset jacturam, antiquas ejus sarcire ruinas omni conamine studuerunt.

Honorius siquidem hujus nominis I. id egit, ut habet Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita his verbis: [Renovavit Cœmeterium SS. Martyrum „ MARCELLINI, & PETRI *in Vià Lavicanà*]. *Anastas. Bibliothecar. in Vita Honorii I.*

Idipsum implevit Hadrianus I., teste eodem: „ [Cœmeterium item BB. PETRI, & MARCELLINI „ *Vià Lavicanà*, juxtà *Basilicam Beatæ Helenæ* „ renovavit, & tectum ejus, idest Sancti Tiburtii, „ & eorundem SS. PETRI, & MARCELLINI noviter „ fecit, & gradus ejus, qui descendunt ad eorum „ Sacratissima Corpora, noviter fecit, quoniàm „ nullus erat jàm descensus ad ipsa Sancta Cor„ pora]. *Idem in Hadriano I.*

Hoc ipsum præstitit Nicolaus Papa I., ut refert ipsemet Anastasius, dicens: [Nicolaus ad *Basilicam* *Idem in Nicolao I.*

L Bea-

„ Beatorum Martyrum MARCELLINI, & PETRI, quæ „ *inter duas Lauros* sita est, properavit, quam ve- „ tustate solutam, ruinàque confractam invenit, „ & sentibus coopertam, tribulisque repletam, ità „ ut nulli ad eam aditus panderetur. Cujus mox „ fundamenta validissimo ædificio renovans, in „ meliorem statum, ut pridèm fuerat, restauravit, „ in quam nunc ad laudem Nominis divini populi „ multitudo properat, & confluit].

Verùm cùm ab ipsomet Anastasio recenseatur alia restauratio Ecclesiæ SS. MARCELLINI, & PETRI facta à Benedicto III. Papa, qui proximè antè Nicolaum Pontificatum tenuit, his verbis: [Nec non & „ in Ecclesiam BB. PETRI, & MARCELLINI, cujus te- „ ctum jàm vetustate positum, vicinum ruinæ exi- „ stebat, depositis vetustissimis trabibus, & aliis „ impositis, noviter ipsum tectum, atque porticus „ in circuitu omnia noviter instauravit]; iuremeritò dubitatum est, an duæ istæ restaurationes factæ à duobus Pontificibus immediatè sibimet succedentibus, de illà tantùm, de qua loquimur, SS. MARCELLINI, & PETRI *inter duas Lauros Basilicà* accipiendæ sint, vel seorsim, altera de hac ipsà *Basilicà*, altera verò de alià iisdem SS. Martyribus intrà Urbis mœnia propè Lateranum dicatà Ecclesià.

Idem in Benedicto III.

At noster Aringhius dubitationem omnem auferre pro viribus conatur, his verbis: [Porrò, ut rem „ hanc maturiùs edisseramus, in MSS. quibusdam „ Codicibus hujuscemodi instauratio, quæ à Nicolao

Aring. Rom. subterr. to. 2. lib. 4. cap. 9. pag. 33.

„ lao Pontifice præstita est, desideratur, & in aliis, „ immò & in Pontificis ejusdem gestis, quæ tom. 3. „ Concil. conscripta habentur, pro verbis illis: *Inter duas Lauros*, legitur: *In Erulana*, corruptò „ videlicet vocabulo pro *Merulana*; quapropter „ germanà verborum lectione paginis redditâ, fatendum nobis proculdubio est, à Nicolao Pontifice eam potissimùm Ecclesiam instauratam fuisse, quæ propè eandem Lateranensem Basilicam „ extat, haud procul à loco, qui vulgò *in Merulana* dicitur, ubi & Beati Matthæi Apostoli Ecclesia *in Merulana* item dicta usque nunc subsistit. Ut ipsa autem veritas magis studioso Lectori innotescat, haud ullatenùs probabile nobis „ sit, de hac Bibliothecarium item locutum fuisse; „ cùm enim Romanorum Pontificum ædibus Ecclesia hæc proxima esset, & Cardinalitio insuper „ Titulo decoraretur, nimis quidem absurdum foret, si quis leviter opinando assereret, eandem „ longo temporum interlapsu eò usque redactam, „ ut sentibus hinc indè cooperta, ac tribulis undique circumfusa, accedentibus impervia omninò „ existeret, qua planè lugubri facie eandem ipsemet „ Bibliothecarius describit. Id igitur probabiliùs „ nobis arridet, si nimirùm, quæ à Bibliothecario „ hactenùs enarrata sunt, de Ecclesiâ ab Imperatore Constantino *Lavicanam juxtà Viam* erectâ „ subintelligantur. His adde, quod minùs item verisimile habendum videtur, eandem ab utroque

„ Pontifice Ecclesiam, de qua nunc agimus, in pri-
„ stini formam splendoris restitutam fuisse; quippè
„ si Benedictus Pontifex hanc, ut hi asserunt, in-
„ stauravit, quorsum Nicolao, qui eidem proximè
„ in Pontificatu successit, operi manum apponendi
„ iterùm opus fuit? cùm Benedictus Papa biennio
„ dumtaxat in Petri Cathedra sederit, quo quidem
„ brevi temporis interstitio ipsammet Ecclesiam ad
„ enormem adeò abolitæ vetustatis formam, ac de-
„ solatam rerum faciem devenisse, haud creditu
„ facilè est. Fateamur igitur opus est, à Benedi-
„ cto III. Ecclesiam illam instauratam esse, quæ
„ juxtà Lateranense Palatium ad hanc usque diem
„ visitur; à Nicolao autem Pontifice hanc, de
„ qua sermo recurrit, *Vià Lavicanà* existentem,
„ quæ tunc ruinis scatebat, pristino decori resti-
„ tutam].

Hæc optimè Aringhius, cujus ad corroborandam conjecturam, annectere non incongruum existimavimus, quod cùm Ecclesia illa propè Lateranum Titularis esset, ut inferiùs ostendetur, & tunc Tituli curam gererent Animarum, in iisque populus sedulò ad percipienda Divina Mysteria confluere consuevisset; omninò incredibile est, omni prorsùs venustate sic fuisse denudatam, atque vastatam, ut Bibliothecarius describit.

CA-

CAPUT XIV.

Cujus juris effecta fuerit Basilica *SS.* Marcellini, *&* Petri Viâ Lavicanâ *extrà Urbem*; *& de Indulgentiâ* Mausoleo Helenæ *concessâ*.

HAnc ipsam inclytam SS. Marcellini, & Petri nostram *Basilicam* à Magno Constantino constructam *inter duas Lauros Viâ Lavicanâ*, adjudicatam esse Constantinianæ item Basilicæ Lateranensi, eique in spiritualibus subditam, testatur Cæsar Rasponus in Opere de Basilicâ, & Patriarchio Lateranensi, ubi agit de spirituali ejusdem Lateranensis Basilicæ jurisdictione his verbis:
„ [Huic (nempè Basilicæ S. Agnetis Viâ Nomen- *Raspon. de Basilicâ, & Patriarc. Lateran. cap. 6. pag. 123.*
„ tana) adjungitur insignis Ecclesia SS. Petri, &
„ Marcellini Lateranensi Basilicæ immediatè sub-
„ jecta, quæ à Constantino Magno extructa, am-
„ plissimisque donariis locupletata, *Helenæ* Augu-
„ stæ ejus parentis cineres excepit, teste Anasta-
„ sio, &c.]

An verò hæc *Basilica* in spiritualibus Lateranensi subjacere tunc tantùm cœperit, cùm in temporalibus ad idem Lateranum pertinuit, haud perspectum est, licet à veritate alienum censendum non sit. In temporalibus autem Lateranensi ditioni accessit sub Innocentio Papa II., ut narrat noster Aringhius, cùm

cùm Antonium Bosium de Romanâ Ecclesiasticâ Antiquitate optimè meritum, & Cœmeteriâ *Viâ Lavicanâ* ex ipsiusmet solertiâ reperta memorat hoc modo:

Aring. Rom. subterr. to. 2. lib 4. cap. 14. pag. 48.

„ [Ad magis verò conceptam animo Antonii „ Bosii sententiam corroborandam, vigens adhùc „ loci ejusdem, atque adjacentis pariter prædii denominatio accessit; dùm enim de loci nomine colonos, qui aderant, diligenti inquisitione rem altiùs exploraturus interrogat, locum illum vulgò ab omnibus tot evoluta post sæcula adhùc *S. Helenæ* prædium appellari, & ditioni Lateranensis Basilicæ subesse cognovit, in cujus Basilicæ Archivio quamplurima de prædio eodem monumenta satis expressa extant, in quibus Ecclesiæ itidem ejusdem *Beatæ Helenæ*, quæ ibi quondam sita erat, frequens admodùm mentio reperitur. Hujus quoque antiqui prædii Joannes Diaconus lib. de memorabilibus ejusdem Lateranensis Basilicæ rebus meminit, ubi ipsummet prædium ab Innocentio Papa II. ex pecuniis eidem Basilicæ relictis coemptum fuisse his verbis enarrat: Obtulit libras centum Lucensis monetæ pro emendis possessionibus ad sustentationem Canonicorum. De quibus postmodùm Dñus Bernardus Prior istius Basilicæ, qui posteà factus est Cardinalis S. Clementis, ac deindè Episcopus Portuensis, salubri judicio, & providentiâ emit possessiones non longè ab Urbe, juxtà formas propè Ecclesiam *S. Helenæ*].

Jo. Diacon. lib. de rebus memorabilib. Ecclesiæ Lateranen.

Perti-

Pertinuisse verò jàm indè usque ad hanc diem locum eundem ad ipsam Lateranensem Basilicam, idem Aringhius paulò post etiam fatetur; nàm referens quid factum fuerit, cùm primò è luctuosis latebris post tot sæculorum dolendam inertiam, ejusdem Bosii diligentià locus hìc eductus fuit, dicit: [Neque *Ibidem ut supra pag 49*
„ interim omittendum est, sacrum hoc Templum
„ superioribus sæculis adeò insigne, quod jàm ex
„ parte dirutum, atque incultum omninò, procùl
„ ab Urbe subsistit, ex recolendo, quem præfere-
„ bat, ut vidimus, titulo pariter, ac sanctitatis
„ loco, fontium, ac sicariorum, (exclamare hìc
„ nobis licet: O tempora, ò mores!) sicariorum,
„ inquam, execrandum asylum illud iisdem occu-
„ pantibus effectum fuisse, quorum subindè plurimi
„ cædibus obnoxii, ibidem ab apparitoribus inter-
„ cepti, meritas scelerum, ac illatæ præsertìm loco
„ omni veneratione dignissimo injuriæ pœnas de-
„ dere. Verùm divino tandem nutu postremis an-
„ nis contigit, ut Canonici, ac Lateranensis Basi-
„ licæ Capitulum, quorum ditioni prædium unà
„ cum Templo addictum est, aliique nonnulli, qui
„ vineas illìc proximè adjacentes obtinent, religioso
„ devotionis impulsu, locum ipsum ruderibus pri-
„ mùm expurgare aggressi, & subindè Ecclesiam,
„ quam penitùs incultam cernebant, aliquà ex
„ parte in pristinum cultum, vel in hoc summis
„ laudibus extollendi, restituere incœperint, & Sa-
„ cerdoti annuà pensione attributà decreverint, ut
ibidem

„ ibidem jugiter residens Sacrosanctum Missæ Sacri-
„ ficium singulis festivis diebus Omnipotenti Deo
„ in Sanctorum Martyrum obsequium offerat, &
„ Ecclesiæ, ac Fidelium pietati, quo par est, studio
„ deserviat; quod magnâ jàm ex parte, Deo inspi-
„ rante, præstitum, perfectumque esse didicimus.
„ Quamobrem brevi temporis intervallo (ut cre-
„ dere fas est), & pristinam illùc confluentium
„ frequentiam, ac primævum religionis illibatæ
„ nitorem sacro eidem loco (quod decet, & in
„ votis cunctorum est) redditum esse pius quisque
„ vir meritò gaudebit].

Sic Aringhius, cujus testimonium protulimus ad significandum tantùm, cujusnàm juri locus, in quo SS. MARCELLINI, & PETRI *Basilica* constituta est, usque adhùc addictus permaneat. Gaudere tamen cum ipso haud possumus, quod nostrorum Martyrum *Basilica* aliqualiter primævo fuerit (ut ipse nimirùm excogitavit) reddita nitori, cùm ex supra allatis evidens sit, non in nostram MARCELLINI, & PETRI *Basilicam*, sed in *Helenæ Mausoleum* à Canonicis, & Capitulo Lateranensi pietatis ea, quæ recenset, studia collata fuisse, quia nempè unum & idem *Mausoleum*, & *Basilicam* censuere.

Franc. Mar. Turrigius de Crypt. Vatic. par. 2. cap. 7. pag. 272.

Anno 1631. Franciscus Maria Turrigius in Libro de Cryptis Vaticanis, Eminentiss. Cardinalis Barberini jussu, unà cum duobus aliis Sacerdotibus, quorum unus Reverendiss. Ricciullus Vicesgerens, se ad

ſe ad luſtranda veſtigia *Baſilicæ* SS. MARCELLINI, & PETRI miſſum refert, additque in *Baſilicà* eàdem ab Urbano VIII. tunc Pontifice Maximo plenariam omnium peccatorum Indulgentiam tributam fuiſſe cunctis utriusque ſexus Fidelibus eam viſitantibus, vel die 2. Junii, qua Sanctorum Martyrum ſolennitas agitur, vel 18. Auguſti, qua Sanctæ *Helenæ* feſtum recolitur. Verùm cùm & ipſe excogitaverit, *Mauſoleum Helenæ* SS. Martyrum *Baſilicam* extitiſſe, hinc meritò educitur, præfatà Indulgentià Pontificem Urbanum non *Baſilicam* MARCELLINI, & PETRI, ſed *Mauſoleum Helenæ* decoraſſe.

Reſtituto igitur tot modis antiquo decori *Helenæ Mauſoleo*, reliquum erat, ut è ſordibus ſaltèm expurgarentur celeberrimæ MARCELLINI, & PETRI *Baſilicæ* in eodem loco adhùc ſuperſtites reliquiæ, quod ferventiſſimo zelo præſtitit Sanctiſſimus Dñus Noſter CLEMENS XI. feliciter regnans, qui locum ſummà veneratione digniſſimum expoliri mandavit, & (ut par eſt à tanto Pontifice expectare) novis ſemper favoribus Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſtudioſiſſimus Princeps *Baſilicæ* hujus modica fragmenta proſequi non omittet.

De Cœmeterio autem noſtræ hujus *Baſilicæ* cùm pluribus agant Boſius, Severanus, & Aringhius, quapropter Lector eos conſulat.

CAPUT XV.

Quæ de Translatione Corporis Sanctæ Helenæ *plurimi Scriptores retulerunt.*

QUamvis tamen aliud noftram SS. Marcellini, & Petri *Bafilicam*, aliud verò *Maufoleum*, in quo fepulta fuit *Helena* Augufta, extitiffe arbitrati fimus; nihilominùs ad ipfam *Bafilicam* aliqualiter faltèm pertinuiffe idem *Maufoleum*, minimè diffitemur: juxtà enim ipfam non ob aliud, quàm ob Sanctorum præcipuam venerationem, dilectiffimæ genitricis Corpus Conftantinus tumulari mandavit, & cenfendum eft eo animo, ut ficut piiffima mulier fimùl cum SS. Martyribus regnabat in Cælis, ab eorum etiam Reliquiis ipfius Corpus non fejungeretur in terris. Iccircò cùm fupra non femèl memoraverimus, Sanctorum Marcellini, & Petri Reliquias in Gallias translatas fuiffe, incongruum hic non videtur, aliqua de *Sanctæ Helenæ* Reliquiis, ejusque *Maufoleo* pariter recenfere, quæ nofter Aringhius paucis licet, tamen eruditiffimè complexus eft, & uti ab ipfo accepimus, hìc adnotavimus; dicit igitur:

Aring. Rom. fubterr. lib. 4. cap. 9. pag. 37. n. 2.

„ [Porrò de Sanctiffimà Fœminà, immortali-
„ bus utique laudum præconiis celebrandà *Helenà*
„ Auguftà fubobfcuræ nonnullæ adhùc affertiones,
„ ac multiplicibus difficultatum nodis obvolutæ
per

" per manus passim circumferuntur, quonàm videlicet loco præclari nominis Fœmina diem suum objerit ? & sacrum ejus Corpus sepulturæ demandatum fuerit ? Variæ enim hac super re Scriptorum sententiæ extiterunt. Socrates quippè lib. 1. cap. 13. de eà hæc ait: [Mortem obiit. Corpus ejus ad Constantinopolim, quæ nova Roma appellata erat, deportatum, regali sepulcro conditum est], Eusebium, ut Baronius inquit Annal. tom. 3. anno 326. num. 627. perperam interpretatus, qui in Magni Constantini gestis lib. 3. cap. 46., ità de Augustissimà Fœminà ejusdem post obitum coram Constantino filio enarratum isthæc scribit: [Magnà satellitum turbà ad Civitatem, quæ Principem locum tenet Imperii, deportatum (Corpus nempè) fuit, ibique regali sepulcro conditum, &c.]; quibus planè verbis haud Constantinopolim, ut Socrates falsò arbitratus est, sed ipsammet Romanam Urbem intelligi voluit, ut iisdem pariter verbis inter scribendum alibi Romam innuere consuevit, & præsertìm lib. 3. cap. 7. gestorum Magni ipsius Constantini, cùm de Legatis ad Nicænum Concilium transmissis agens isthæc habet: [Et quamquam illius Urbis, penès quam Imperium est, Episcopus, &c.] de Silvestro nimirùm meritissimo Romanæ Urbis Episcopo subintelligens. Anastasius vero Bibliothecarius libro de Constantini munificentià ergà Urbis Ecclesias Concil. to. 3., & in Silvestro

Socr. Histor. lib. 1. cap. 13.

Baron. Annal. tomo 3. anno 326. num. 627.

Euseb. Hist. lib. 3. cap. 45.

Euseb. Hist. lib. 3. cap. 7.

Anast. lib. de Constantini munif. Conc. tom. 3.

„ præsertim de SS. MARCELLINI, & PETRI *Basilicâ*, „ quæ *Viâ Lavicanâ inter duas Lauros* posita est, „ prolixiùs agens, hæc de Constantino Augusto ad „ rem nostram inserit: [Et *Mausoleum* condidit, „ ubi Beatissimam Augustam matrem suam posuit „ in sarcophago porphyretico].

„ At Nicephorus lib. 8. cap. 31. non modò præ„ clarissimam Fœminam Romæ sepultam, sed vitâ „ insuper ibidem functam, & indè post biennium „ Constantinopolim translatam fuisse disertè affir„ mat: [Cùm autem (inquit ille) ei finis vitæ in„ staret, cùm celeberrimâ memoriâ Romæ deces„ sit; undè octogesimum annum agens, &c.]; „ idemque Nicephorus eodem libro cap. 55. de „ Constantino, qui in præmemoratâ Apostolorum „ Ecclesiâ conditus est, sermonem instituens, *He*„ *lenam* quoque matrem depositam ibidem fuisse „ his planè verbis testatur: [In Urnâ marmoreâ unà „ cum matre *Helenâ* repositus est]. Demùm Con„ stantinopolitanâ ex Urbe venerandum B. *Helenæ* „ Corpus Venetias translatum, summàque illìc ve„ neratione servatum fuisse, nonnulli tradunt, in„ ter quos præcipuus est Petrus de Natalibus, qui „ lib. 7. cap. 73. hæc recitat: [Ipsa verò B. *Helena* „ operibus pietatis, & religionis studens, octoge„ simum ætatis annum agens, in sanctitate vitæ, in „ pace quievit apud Urbem Romam xv. kalendas „ Septembris, sepultaque est in Ecclesiâ SS. MAR„ CELLINI, & PETRI; cujus Corpus filius ejus Con- stan-

Niceph. lib. 8. cap. 31.

Idem cap. 55.

Petrus de Natal. lib. 7. cap 73.

" ſtantinus Imperator indè Conſtantinopolim tran-
" ſtuliſſe dicitur; poſt ad ipſam Urbem habitaturus
" acceſſit. In temporis verò proceſſu de ipsâ Urbe
" Regiâ à Venetis translatum eſſe fertur Venetias
" ipſum Corpus, & ſepultum jacere in Monaſterio
" ſuo nomini ædificato]. Sigebertus tamen in Chro-
" nic. ſub anno 849. contrariam huic ſententiam
" mordicus tuetur: Corpus etenim Sanctæ *Helenæ*
" Romà in Gallias eodem anno 849. fuiſſe dela-
" tum his quidem verbis aſſerit: [Sancta *Helena* Sigebert. in Chron. anno 849.
" Imperatrix à ſuo filio Conſtantino Magno, pri-
" mo hujus nominis Imperatore, Romæ in Eccleſiâ
" SS. Marcellini, & Petri Martyrum in *Mau-*
" *ſoleo* purpureo ſepulta, ad Franciam à Thaogiſo
" Monacho transfertur, & in Diœceſi Rhemenſi
" magnâ Francorum veneratione excolitur]. In Ap- Append. de Mart Uſuar vii. idus Februar.
" pendice verò, quæ ad Uſuardi Martyrologium
" addita eſt, vii. idus Februarii translationis ejus-
" dem S. *Helenæ* ad Monaſterium Altovillaren.
" commemoratio recolitur; cui Molanus in notis Molanus.
" adſtipulatur, dicens: [Hanc eandem Romà ad
" id Monaſterium translationem deſcriptam olìm
" fuiſſe ab Alamanno Monacho, & in quodam
" MS. Cod. reperiri].
" Porrò ejusmodi recolenda translatio quoquo
" modo contigerit, non hanc quidem de ipſomet
" Corpore, ſed de ſacris ejusdem Reliquiis, ut in
" more olìm poſitum erat, ſubintelligendam eſſe
" arbitramur; nàm ſub Innocentio Papa II. vene-
randa

„ randa ejusdem Sanctæ *Helenæ* offa, è *Viâ Lavicanâ* in Urbem, ad Ecclefiam Sanctæ Mariæ,
„ vulgò *de Ara Cæli* nuncupatam, ubi hodiè reli-
„ giosè affervantur, translata fuiffe his planè verbis
„ in fuprà recenfitis Actis legitur: [Sed cùm tem-
„ poribus Innocentii II. propter guerram ipfe lo-
„ cus defertus effet, quidam fures fracto operculo
„ ipfius tumuli aurum, & gemmas veftimentorum
„ Beatæ *Helenæ* abftulerunt; quod quidam Reli-
„ giofi videntes, caput, & groffiora offa indè le-
„ vantes, in Urbem intulerunt].

Ex Codic. S. Petri, & Vallicell. 7.

Ifta Aringhius, cujus fententia inter difficillimas tot Scriptorum ambages, cæteris juremeritò anteferenda eft: nàm cùm hi exadverfo inter fe pugnantes, inter fe etiam pugnantia referant, cùm quod unus affirmat, ab alio evertatur, undè & inter hos cui potiffimùm fit credendum, haud appareat; quoddam ipfe excogitavit, quo fe omnibus credere profiteretur, nullique mendacii notam inureret; licet Socratem reiiciens, & Eufebium explicans, & rursùm inferiùs Nicephori auctoritatem refellens, Græcorum omnium de translatione Corporis *Helenæ* fententiam obtundat.

CA-

CAPUT XVI.

De Arcà porphyreticà Helenæ, *ubi*, *&* *de alterà* Constantiæ.

ARca verò porphyretica, in qua sacrum *Helenæ* Corpus fuerat tumulatum, hinc indè distractis ipsius Reliquiis, & præcipuis ab Innocentio II. in Urbem translatis, & ipsa ad Constantinianam Lateranensem Basilicam delata fuit anno 1054., ut MSS. Cod. Vaticani, & Vallicellani his verbis testantur: [*Mausoleum* autem ipsum Anastasius IV. in Basilicam Constantinianam intulit, ubi postmodùm & ipse sepultus est]. *Cod. S. Petri, & Vallicel 7.* Quod confirmat Joannes Diaconus, qui floruit sub Alexandro Papa III. in libro MS. de Memorabilibus Basilicæ Lateranensis, dicens: [Sinistro verò latere „ Basilicæ est Altare Sancti Antonini Martyris, ibi „ juxtà jacet Anastasius IV., qui fuit Sabinensis „ Episcopus, in *Mausoleo* porphyretico præclaro „ opere sculpto, in quo olìm jacuit *Helena* mater „ Constantini Imperatoris, quod videlicet *Mausoleum* de Ecclesià, quam idem Imperator ad honorem ipsius matris extrà Urbem ædificaverat, „ idem Papa deportari fecerat]; ex quibus verbis „ juremeritò noster Aringhius mendacii Nicephorum redarguit, qui *Helenæ* Corpus unà cum ipsiusmet Urnà Constantinopolim translatum fuisse perperàm,

MS. Cod. Lateranen.

Aringhius Rom. subterr. lib. 4. cap. 9. pag. 39. to. 2.

Niceph. Callixt. libro 8. cap. 31. Hist. Ecclesiast.

peràm, nulloque veritatis adminiculo fuffultus affe-ruit: nàm pofito etiam, quod *Helenæ* Reliquiæ Conftantinopolim deportatæ fuiffent (ut ex Socrate, & Eufebio elicere voluerunt nonnulli) tamen ipfiusmet *Helenæ* Arcam porphyreticam unà cum illius Corpore translatam illùc quoque fuiffe, ut refert Nicephorus, omninò commentitium effe, eadem Arca, quæ femper in Urbe permanfit, apertè manifeftat.

Jo. Mabill. Muf. Ital. to.2.p.569. Verùm laudatus Mabillonius in Appendice Ordinis Romani eadem referens verba Joannis Diaconi, pro *Altare Sancti Antonini Martyris*, ponit *Altare Beatæ Mariæ de Repofo*; & hanc effe germanam lectionem ex ipfo MS., & originali Codice Archivii Lateranenfis ab eruditiffimo viro Joanne Philippo de Rubeis ejusdem Bafilicæ Canonico deprehendimus.

Porphyretica ideò hæc Arca in Bafilicà Lateranenfi juxtà portam communi nomine Sanctam appellatam extitit, quam propè forfan præfatum Altare Beatæ Mariæ de Repofo antiquitùs confpiciebatur. *Aring. ut fupra p.40.* At anno fexcentefimo fuprà millefimum Jubilæi fæcularis (inquit Aringhius) facro recurrente, cùm inter aditum portæ ejusdem de more referandæ confringi, ac labefactari ex parte contigiffet, ejus Bafilicæ Canonici, Bofio fervandæ Antiquitatis ftudiofiffimo adhortante, atque adnitente, inftaurandam curarunt; undè ad hodiernam usque diem (fubjungit) propè Conftantin. ejusdem Bafilicæ apfidem locata fufpi-

ſuſpicitur; quod etiam refert Cæſar Raſponus his verbis: [Sub eàdem porticu fuere marmorea duo „ alia monumenta ſtructuræ operoſioris, nunc verò „ in porticus medio propè parietem, & portam, „ qua ad Baptiſterium itur, extat tantummodò „ *Mauſoleum*, & ſepulcrum Anaſtaſii Papæ IV., „ in quo fuerat olìm tumulata *Helena* mater Con- „ ſtantini Magni, in eoque hæc adhùc Inſcriptio „ ſupereſt:

Cæſ. Raſpon. de Eccleſ. & Patriarc. Lateran. lib. 1. cap. 13. p. 58.

DIVÆ HELENÆ AVGVSTÆ MAGNI CONSTANTINI MATRI SEPVLCRALEM HANC PORPHYRETICAM ARCAM, IAM DIV EX IPSIVS MAVSOLEO VIA LAVICANA IN HANC SACROSANCTAM BASILICAM AB ANASTASIO QVARTO SVMMO PONTIFICE AD PROPRII MONVMENTI VSVM TRANSLATAM, ET INIVRIA TEMPORVM VNDIQVE DIRVPTAM, AC PENITVS DISIECTAM, NE TANTÆ PATRONÆ DE EADEM BASILICA OPTIME MERITÆ MEMORIA DEPERIRET, CAPITVLVM, ET CANONICI RESTITVERE ANNO SAL. MDCIX.

Ex hac autem Inſcriptione non anno ſæculari, ut dicit Aringhius, ejuſmodi *Mauſolei* inſtauratio tribuenda eſt, ſed nono poſt milleſimum ſex-

centesimum. Verùm sub Alexandro VII. Pontifice Maximo *Mausoleum* idem è præfato loco post apsidem in majorem porticum Lateranensis Basilicæ delatum fuit: & demùm anno 1699. Capitulum, & Canonici Lateranenses in atrium Canonicæ unà cum antiquà eidem præpositâ Inscriptione illud transtulere, ubi & hodie conspicitur.

Cæterùm cùm ex *Helenæ* tùm Arcâ, tùm *Mausoleo*, pluribus prosequi *Constantiæ* etiam tùm *Mausoleum*, tùm Arcam coacti fuerimus, Lectori haud molestum fore arbitramur, si quod de his quoque evènit, paucis complectamur. Sciendum igitur est, *Mausoleum* hoc in Ecclesiam consecratum fuisse ab Alexandro Papa IV., ut diximus, anno Domini 1256., & Inscriptio eidem superposita declarat; in qua quidem consecratione eundem Pontificem Beatæ *Constantiæ* Corpus unà cum Reliquiis Sanctarum Atticæ, Arthemiæ, & Emerentianæ, aliorumque Sanctorum sub Altari honorificè reposuisse ferunt.

Nard. Rom. Antiq. lib. 4. cap. 4 reg. 5. pag. 175

Aring. Rom. subterr. lib 4. cap 25. to. 2. pag. 158.

Jo. Mabill. Itiner. Ital. pag. 84.

Ciacon. in Vita Pontif. in Alex. IV. anno 1256.

Paulo autem Tituli Sanctæ Cæciliæ Cardinali Sfondrato idem *Mausoleum* reficiente, & instaurante, pretiosa hæc pignora sub Pontifice Clemente VIII. in lucem iterùm prodire contigit; cujus quidem recentissimæ Inventionis Acta reperiuntur in MS. Cod., cui titulus: [Relatio de Inventione „ Corporum SS. *Constantiæ* filiæ Constantini Im„ peratoris, Atticæ, & Arthemiæ, & multarum „ aliarum SS. Reliquiarum SS. Saturnini, Sicinii,

&

„ & aliorum, qui in Ecclesiâ B. *Constantiæ* ab Alexandro IV. Pont. Max. sub Altari majori repositi „ fuerant. Commentaria Francisci Peniæ]. Extat autem insigne hoc tantæ rei monumentum in amplissimâ Barberinâ Bibliothecâ, ex qua, præcipuâ benignitate Emi, & Rmi Principis Francisci Cardin. Barberini, Ecclesiasticæ gloriæ tùm antiquæ, tùm novæ validissimi Servatoris, & Propagatoris, ea quæ ad rem nostram pertinent, excerpere potuimus. Igitur hæc Actorum sunt verba:

Comm. Francisci Peniæ ex Bibl. Barber. MS. Codice num. 1234. pag. 365.

„ [Pretiosissimæ rei factâ conquisitione investigare adhùc plura cura Pauli Cardin. Sfondrati in „ animo fuit; & (ne quid ad absolutionem operis „ deesset) statuit idem Illmus in Templo S. *Constantiæ* Altare, porphyritico, ut vulgò dicitur, „ sepulcro Bacchi nimis propinquum, loco movere, „ atque in medio locare. Neque verò id solùm, sed „ inquirere etiam Corpora SS. *Constantiæ*, Atticæ, „ & Arthemiæ, quæ, ut legitur in vetusto lapide ab „ Alexandro IV. memoriæ gratiâ posito, ibi anno „ ejusdem Ecclesiæ consecrationis 1256. collocata, „ cùm aliis Sanctorum Reliquiis conservantur; quod „ Altare cùm dejiceretur, præceptum est primùm „ ab eodem Pontifice esse pio cultui dicatum, teste „ etiam ejusdem Pontificis invento signo. Mox in „ vase multas Reliquias custoditas; deindè æquato „ Altari tabula marmorea reperta est, quæ lateritiam Arcam tegebat, in qua sunt unà cum pluri„ mis vestium auro pictarum, ac benè olentium

„ fragmentis, SS. *Conftantiæ*, Atticæ, atque Arthe-
„ miæ Corpora, Sanctique Saturnini,& aliorum San-
„ ctorum Reliquiæ; quæ omnia Alexander Pontif.
„ Max. (ut ab eo in Infcriptione narratum diximus)
„ fub hoc Altare à fe S. *Conftantiæ* dedicatum collo-
„ carat. Eamque ob rem Illmus Cardinalis collecta
„ omnia decenter, prout par eft, fummàque religio-
„ ne, donec fubter Altare, quod in præfentia in me-
„ dio Templo ædificatur, collocentur, in Sacello fu-
„ pra relato piè, ac religiosè affervat]. Hæc Penia.

Marlianus lib.7. p.149. in not. Ferucc.

Prætermittendum demùm minimè eft, quod Paulum II. porphyreticæ fepulturæ *Conftantiæ* formà, ac pulchritudine illectum, eam ad fe in Urbem afportari juffiffe, referunt, quòd fibi fortè ad monumentum ipfam parare ftatuiffet. Sed cùm jàm itineri commiffum effet fepulcrum, ac in Urbem adduceretur, ftatìm nocte intempeftà Pontificem ab humanis deceffiffe afferunt; quapropter Canonicos Regulares Ecclefiæ S. *Conftantiæ* præfidentes, hoc nuncio percepto, ftatìm eò, undè fublatum fuerat, reftituiffe; licet alii non Canonicos, fed Xiftum Papam IV. antiquitati urbanarum rerum fervandæ intentum, illud in priftinum locum reduci curaffe, affirment.

Aringh. ut fupra.

Finis Primæ Partis.

DE

DE SACRIS BASILICIS SANCTORUM MARTYRUM MARCELLINI, ET PETRI DE URBE.

Dissertatio Historica.

Pars Secunda.

CAPUT PRIMUM.

De Basilicà *SS.* MARCELLINI, *&* PETRI *intrà Urbem, & quot modis nuncupata fuerit.*

PRÆTER *Basilicam* SS. Martyrum MARCELLINI, & PETRI *Viâ Lavicanâ inter duas Lauros* extrà Urbem à Magno Constantino constructam, alteram intrà ejusdem Urbis mœnia Sanctis iisdem Martyribus dicatam reperimus, antiquitate, Cardinalitio Titulo, Statione & ipsam venerabilem, de qua haud pau-

ca

ca disserere nunc summatìm aggredimur.

Bened. Millin. in Tract. Cappell. Sancta Sanctorũ cap 4. p. 179. Catast Sancta Sanctorũ fol. 26.

In Ecclesiasticis monumentis *Basilica* hæc diversis nominibus notata reperitur. Benedictus siquidem Millinus in Tractatu Cappellæ Sancta Sanctorum, Catasti cujusdam ipsius Cappellæ verba referens, eam nuncupatam SS. PETRI, & MARCELLINI *de Suburra*, asserit.

Baron. anno 795. n. 29.

Apud Eminentiss. Cardinalem Baronium sub auno 795. num. 29. *SS.* MARCELLINI, & PETRI item *de Suburrà* eadem *Basilica* dicitur. Et tandem in libro Anniversariorum Sanctiss. Salvatoris Lateranen., corrupto vocabulo, ut adnotarunt Ciampinius, & Nardinus, hæc ipsa *Basilica* pro *Suburra*, de *Secura* legitur.

Ciamp. Vet. Monum c. 28 pag. 262. Nard. lib. 3. c 6. pag. 97.

Luc. Maur. Antiq. Rom. c. 9. pag. 63. Flor. av Martinell. p. 286.

Lucius Maurus hanc Ecclesiam SS. MARCELLINI, & PETRI *in Vià Lavicanà* constituit; & Martinellus in suà Romà sacrà *in Regione Montium* locatam affirmat. In gestis autem Nicolai I., quæ habentur tom. 3. Conciliorum, significatur hæc *Basilica* hoc modo: [*SS.* MARCELLINI, & PETRI *in Erulana*] corrupto nimirùm vocabulo *Merulana*, ut observat noster Aringhius.

Concil. to. 3.

Aring. Rom. subterr. to. 2. lib. 4. cap. 9. pag. 54.

Anast. Bibliothecar. in Gregor. III. anno Christi 731.

Tandem Anastasius Bibliothecarius in Vità Gregorii III. scribit: [Fecit verò à novo Ecclesiam „ SS. MARCELLINI, & PETRI *juxtà Lateranis*], nullo alio videlicet indicio, quàm vicinarum ædium Lateranensium ipsam designans, uti postmodùm usque in præsens passim Scriptores reliqui eam adnotare consueverunt.

At

At cùm non temerè, vel fortuitò præfatos Auctores singulis, quæ recensuimus, vocabulis *Basilicam* hanc appellasse existimandum sit, sed potiùs ex probabili aliquà saltèm verisimilitudine adductos, præfatas ei nomenclaturas indidisse; iccircò operæ pretium erit, quod unusquisque vocabulum edidit, diligenti ponderatione discutere, ut ea potissimùm, quæ ipsi nomina conveniunt, Lectori liquidò proponantur.

CAPUT II.

De Suburrà *plures Scriptorum opiniones referuntur*.

SEd quia, ut vidimus, à plerisque hæc Sanctorum MARCELLINI, & PETRI *Basilica* in *Suburrà* statuitur, igitur primùm, quænam *Suburra*, & ubinam sita fuerit, inquirendum est, ut exindè agnosci valeat, an locus *Basilicæ*, & *Basilica* loco consentiat; quod facilè, enumeratis à nobis multiplicibus Scriptorum sententiis, à legente percipi continget.

Lucius Faunus igitur de Antiq. Urbis Romæ: „ [*Suburra* (inquit) ut putant, ideò dixere veteres, „ quod sub muro *Carinarum* staret, vel quasi sub „ Urbe; sub Urbe enim antiquà Romuli fuit. „ Ad *Carinarum* radices *Suburra* extendebatur, eà „ parte, quæ Quirinalem vallem spectans ex aliquorum

Luc. Faun. de Antiqu. Urbis Romæ lib. 4. cap. 7.

„ quorum fententiâ à Foro Romano, vel Nervæ „ Foro incipiebat, & *ad clivum Suburranum* per- „ veniebat, quod, ut anteà demonftratum eft, „ idem erat cum Viæ Tiburtinæ principio.

„ Non defunt, qui fupra Coloffeum initio *Labi-* „ *canæ Viæ* inchoaffe *Suburram* affirment, & fecun- „ dùm Exquiliarum radices usque ad Divæ Luciæ „ in Orphea Templum, vel ad *Suburræ* principium, „ ubi Tiburtina incipiebat, extenderetur].

Bart. Marl. in Topograph. Urbis Romæ cap. 17 p. 92.

Bartholomæus Marlianus de eàdem *Suburrà* differens, dicit: [Priùsquàm Viminalem collem „ afcendamus, pauca quædam dicenda funt de „ *Suburrà*, & Vico Patritio. *Suburra* igitur prin- „ cipium habuit à Foro Romano, & rectà veniendo „ per Forum Nervæ *ad clivum Suburranum*, „ undè initium Viæ Prænestinæ eft, definebat. „ Alii tamen, quod non probatur, à regione Ta- „ bernolæ fupra Coloffeum, ubi caput *Viæ Labi-* „ *canæ* eft, inchoaffe volunt, & per Exquiliarum „ radices usque ad ædem Sanctæ Luciæ in Orphea „ perveniffe; dicta, quod fub muro terreo *Cari-* „ *narum* effet. Junius verò fcribit, ab eo, quod „ fuerit fub antiquà Urbe. Varro autem à pago „ Succufano litterà detrità, & *C* in *B* mutatà. „ De *Suburrà* meminit Plinius tertio ab Urbe con- „ ditâ: Juvenalis vicum frequentiffimum fuiffe his „ oftendit carminibus:

Juven. Satyr. 11. verf. 50.

Cædere namque foro jàm non tibi deterius, quàm
Exquilias à ferventi migrare Suburrà].

In

„ In hoc vico Cæsarem Dictatorem domum ha-
„ buisse Suetonius sic probat: [Habitavit priùs in
„ *Suburrà* modicis ædibus]; & Meretrices questum
„ corporis fecisse, sic Martialis:

Famæ non nimiùm bonæ puellam, *Martial. libro 6. epigr. 66.*
Quales in medià sedent Suburrà].

„ Servius autem Tullus Urbem in quatuor re-
„ giones dividens, unam ex his *Suburranam* ap-
„ pellavit, cujus Princeps fuit Cœlius, Auctore
„ Varrone.

Honuphrius Panvinius de eàdem *Suburrà* agens, hæc profert: [*Suburram* ex Varronis, Sext. *Honuph. Panvin Urb. Roma de Monte Cælio p. 147.*
„ Rufi, & Publ. Victoris auctoritate voco viam
„ illam, quæ est inter Cœlium, & Palatium, quæ
„ Amphitheatrum, & Arcum Constantini ex uno
„ capite habet, ex altero verò Septizonium Severi,
„ atque SS. Andreæ, & Gregorii in clivo Scauri
„ Basilicam. A septentrione autem habuit *Cari-*
„ *nas*, Cœliolum, & Exquilias. Cœliolum autem
„ voco planitiem illam, quæ est inter Amphithea-
„ trum, & Basilicam S. Clementis, Cœlium ipsum,
„ & Exquilias. A meridie autem habet piscinam
„ publicam, & vallem, quæ est antè Viam Ap-
„ piam, quæ propè Septizonium Severi inchoans,
„ versus portam Capenam protenditur].

Joannes Rosinus, & Thomas Dempsterius de *Suburrà* hæc habent, ubi de Tribu *Suburranà*: *Jo. Rosinus Rom. Antiq. lib. 6. p. 261. Dempsterius lib. 6. p. 662.*
„ [Hæc prima inter urbanas recensetur à Varrone
„ libro 4. de Linguà Latinà, Dionysio libro 4.,

„ Livio libro 1., Plinio, ac aliis. Dicta autem eft
„ *Suburrana*, tefte Varrone, quod fub muro terreo
„ *Carinarum* effet; vel, quemadmodùm ipfe ex
„ Junio affert, ab eo quod fuerit fub antiquà Urbe.
„ Cui teftimonium poteft effe, quod fubeft ei loco,
„ qui terreus murus vocatur. Sed ego, inquit, à
„ pago potiùs *Succufano* dictam puto *Succufam*.
„ Nunc fcribitur tertia littera *B* non *C* pagus Suc-
„ cufanus, quod fuccurrit *Carinis*. Sext. Pompejus
„ fic de eà fcribit: *Suburram* Verrius alio Libro à
„ pago *Succufano* dictam ait: Hoc verò maximè
„ probat eorum auctoritate, qui ajunt, ità appellari
„ & regionem Urbis, & Tribum à ftativo Præfidio,
„ quod folitum fit fuccurrere Exquiliis, infeftan-
„ tibus eam partem Urbis Gabinis, indicioque effe,
„ quod adhùc ea Tribus per *C* litteram, & non
„ per *B* fcribatur. Hæc Cœlium montem, & cir-
„ cumadjacentia loca complectebatur. Paullus Ma-
„ nutius, ut in fchol. in 8. libro epift. Cicer. ad
„ familiares, exiftimat, de eà Ciceronem loquutum
„ fuiffe in orat. 2. Agrarià, ubi tamen in vulgatis
„ legatur *Ogriculana*, in libris autem quinque anti-
„ quis *Abufuranam*, pro quo ipfe legendum putat
„ *Suburrana*].

Paul. Manut. Antiqu. Rom. in lib. de Civ. Rom. ad Alexand. Card Perett. Sixti V. pronepot pag. 18. & feq.

Paullus Manutius de *Suburrà* hæc fcripfit:
„ [Cùm Servius Rex quatuor Tribubus urbanis
„ nomina vellet imponere, *in Suburranà*, locum,
„ in quo maxima Civium effet frequentia, confide-
„ ravit, & indè fumendum effe nomen jure duxit;
qua

„ qua in Tribu tùm Cœlii montis, qui est in„ eà regione, tùm locorum continentium incolas
„ inclusit].

Morerus in suo Diction. Histor. Gallic. verbo *Suburra*, hæc ponit, Latinè reddita: [*Suburra* erat
„ angulus veteris Urbis Romæ; locus, ubi fuit,
„ retinet adhùc *Suburræ* nomen in eà Urbis parte
„ *Rione de' Monti* appellatà. Fuit autem ibi aliàs
„ Meretricum domicilium, quæ *Nonariæ* voca-
„ bantur, quia ibi horam circiter nonam visebantur, & *Suburranæ*, de *Suburræ* plateæ nomine.
„ Apud Juvenalem legitur, nihil tam anxiè Annibalem desiderasse, quàm sua signa, & vexilla in
„ medià *Suburræ* plateà explicare posse:
. . . . . . *& medià vexillum pono* Suburrà].

Morer. Diction. Histor. Gallic. verbo Suburra.

Juv sat. 10. vers. 156.

Tandem Benedictus Millinus in MS. Codice apud clarissimum, ac doctissimum R. P. D. Marcellum Severolum: [Ego, inquit, auctoritati Sext. Rufi,
„ & Publ. Victoris innixus, *Suburram* in secundà
„ regione, in vià, quæ est inter S. Gregorium,
„ & Arcum Constantini incœpisse, in tertià verò
„ regione ad clivum *Suburranum* terminasse pro-
„ nuncio, qui nempè clivus aliud esse nequivit,
„ quàm ascensus, vel via ea, quæ juxtà S. Quirici
„ Ecclesiam ad Ecclesiam B. Virginis in Montibus
„ dictam, & hinc ad S. Luciam in Silice perducit;
„ quæ nimirùm via usque ad hanc diem *Suburræ*
„ retinet nomen, & ità in regione secundà Cœli
„ montium Sext. Rufus *Suburram* ponit, & Publ.

Bened. Millin MS. Cod. apud R. P. D. Severolum.

„ Victor *Lupariæ* in *Suburra*, & in regione tertià „ *caput Suburræ*, sicùt Publ. Victor ibidem *Suburræ caput* etiam constituit; undè via hæc regionem tertiam non excedebat, in qua Lupanaria „ existebant, à Regionariis in secundà regione comprehensa, & à Sext. Rufo distinctè à *Suburrà Lupariæ* adnotata, itaut si Publ. Victor *Lupariæ in Suburrà* non scripsisset, meritò dubitari potuisset, quanàm in vià, & Lupanaria, & Lupariæ extitissent.

„ Via hæc ob incolarum, & habitatorum frequentiam admodùm celebris fuit; quapropter Juvenalis postquàm de Annibale dixit:

Iuv sat. 10. vers. 154.

Jam tenet Italiam; tamen ultrà pergere tendit,

„ ità eum occupationi hiantem Urbis, & loquentem inducit:

Idem vers. 155.

Actum, inquit, nihil est, nisi pœno milite portas
Frangimus, & medià vexillum pono Suburrà.

Jo. Britan. in Juvenal. pag. 464.

„ Quæ carmina sic explicat Joannes Britannicus: „ [Nihil adhùc fecimus, nisi Romam capiamus, & vexilla nostra in medià *Suburrà* figamus; fuit enim Romæ regio celeberrima]:

„ Via hæc infami notà designabatur, & quod in eà Meretrices habitarent, & in ipsà in secundà regione distinctum locum incolerent, Luparia dictum. Mulieres istæ ab Horatio *Suburræ* Canes nuncupatæ fuerunt hoc modo:

Horat. epod. od. 5.

Senem, quod omnes videant, adulterum
Latrent Suburranæ *Canes*.

Et

„ Et Martialis *Magistras* easdem vocat, quia
„ nempè indignissimum scelus juvenes edocebant,
„ dicens:

Ergo Suburranæ *Tironem trade Magistræ*]. *Martial. lib. 11. epigr. 79.*

Hucusque Millinus.

CAPUT III.

Aliæ de Suburrà *Scriptorum proponuntur opiniones.*

PRæter recitatas de *Suburrà* plurium Scriptorum sententias, plures alias reperire contigit apud Donatum, Nardinum, & alios, quas cùm in unum cogere visus sit Ciampinius; iccircò quæ Ciampinius idem hac de re disseruit, summatìm tamen hìc ponenda existimavimus, demptis nihilominùs iis, quæ ex supra allatis Auctoribus jàm in medium attulimus; dicit igitur:

„ Joannes Annius *Suburram* posuit in Vico *Ciampinius Vet. Monum. cap. 28. pag. 231.*
„ Thusco incipientem è Palatino collo, & protensam usque ad murum Fori venalium circà Tiberim, & ad Forum Piscarium.

„ Blondus Monticulum existimat, ubi situm est
„ Monasterium Sancti Laurentii in Pane, & Perna,
„ ac totam illam viam, quæ incipit à Sanctà Lucià
„ in Silice, & porrigitur usque ad S. Hadrianum in
„ Foro Boario, *Suburram* comprehendere.

„ Marcellus Donatus sequitur Blondum, locans
in

„ in *Suburrà* Olympiadis, & Agrippæ Thermas,
„ juxtà præfatam Ecclesiam S. Laurentii in Pane,
„ & Perna, ubi Sanctus ille assatus fuisse dicitur,
„ & pro suà confirmandà sententià Prudentii Poetæ
„ Christiani locum adducit hymn. 11.

Prudentius hymn. 11.

Non contentus humum celsæ intrà mœnia Romæ
Tingere justorum cædibus assiduis;
Janiculũ cùm jàm madidũ, fora, rostra, Suburram
Cerneret eluvie sanguinis affluere.

Pomponius Lætus initium *Suburræ* esse vult,
„ ubi Titi Amphitheatrum, illiusque spatium us-
„ que ad Exquilias producit.

„ Andreas Fulvius vix à præcitatis discedit, dùm
„ ait: [Ea inchoabat à regione Tabernolæ juxtà
„ Colosseum, ubi *Suburræ caput*, & principium
„ *Labicanæ* versùs Auroram tendentis. *Suburra*
„ verò per radices Exquiliarum longo ambitu pro-
„ ducebatur usque ad ædem S. Luciæ in Orphea,
„ sive in *capite Suburræ*].

„ Aloysius Contarenus *Suburræ* plateam collocat
„ inter Quirinalis, & Viminalis montium extre-
„ mam partem, ubi Probæ puteus; qui puteus (ut
„ refert Fulvius) erat sub proximo Templo S. Aga-
„ thæ in valle Quirinali, & juxtà Sanctam Mariam
„ in Campo, ubi à fronte incisæ litteræ juxtà Hospi-
„ tale Epirotarum, quod nunc est Ecclesia SS. Ser-
„ gii, & Bacchi, quare platea ista (ni fallor) nunc
„ est antè ædem Beatæ Mariæ Virginis ad Montes,
„ in eà parte, ubi nunc fons cernitur.

Ra-

„ Raphael Volaterranus, cæterique recentiores à
„ Trajani Foro usque ad S. Martinum in Montibus,
„ & S. Agatham protendunt.
„ Pyrrhus verò Ligorius, qui Italico idiomate
„ scripsit, sic latinè redditus, ait: [*Suburra* non
„ erat in Exquiliis, sed in *Suburranà* regione, in
„ qua signanter erat Cœliolus, & *Carinæ*, & ut
„ ipse perpendere potuerat, facilè existimabat, *Su-*
„ *burram* in illà fuisse valle, quæ est inter Cœlium
„ montem, & Palatinum]. Hoc suum judicium de-
„ duxisse videtur Pyrrhus ex Lupanariis, quæ Qu.
„ Rufus, & P. Victor recensent]. Hæc Ciampinius.

Verùm Ligorii, & asseclæ ipsius Panvinii sententiam refellit ex Martinello, dùm hìc allegat epigramma Martialis, qui à suis ædibus, (quæ propè Pilam Tiburtinam sitæ erant ad Circum Floræ in Quirinali, ubi nunc platea Barberina) ad Exquilias per *Suburranum* clivum ascendi dicebat: & ex Sext. Pompeio, qui *Suburram* inter Montes commemorat; & rejiciens à Ligorio desumptum argumentum ex Lupanariis in regione secundà Cœlimontanà adnotatis, ostendit illud nullius roboris esse, ex eo quod alibi etiam Lupanaria existebant, nempè in Stagno Agrippæ, ut ex Tacito; in Agonali Circo, ut ex Actis Sanctæ Agnetis, & alibi.

Martialis epigr. lib. 5. epigr. 23.

Tacit. Annal libro 15. cap. 37.

Nec habendam fidem, subdit relatus Martinellus, Auctoribus Romanarum Regionum à Panvinio editis; nàm Victor ab Aldo impressus ponit Lupanaria in regione secundà Cœlimontanà, nullo alio adjecto;

Acta S. Agnetis sub die 21 Januarii apud Bolland.

Panvi-

Panviniana verò editio addit: *In Suburrà*; & cùm idem Victor, juxtà plures aliorum editiones, *Suburram* in tertià regione reponat, Panvinius in *Suburræ caput* commutavit. Immò Sext. Rufus ab ipfo Panvino vulgatus in regione quintà Exquilinà ponit Vicum *Succufanum*, à quo *Suburra* nomen traxit; quapropter Martinellus ipfe fic diftinguendum cenfet.

Si agatur de antiquà Urbe, in cujus Pomerio Palatinus, & Capitolinus colles includebantur, dicendum eft, *Suburram* fuiffe viam fub antiquà Urbe extrà Pomerium in eà valle, ubi nunc eft Amphitheatrum Titi: Si verò loquamur de auctà Urbe, *Suburræ* limites videntur extenfi usque ad Forum Pifcarium, & finem vici Thufci, ubi Janus Quadriformis, & imum Argiletum (nunc, Pons quatuor capitum) & illa via, quæ ducit ad Sanctam Mariam Ægyptiacam, dicta *Porta Leone*; immò productam etiam fuiffe *Suburram* ad Forum Nervæ, indè per planitiem inter Viminalem, Quirinalem, & Exquilinum colles ad S. Luciam in Silice. Hæc, & plura alia hujus generis ex Martinello profert Ciampinius; deindè prolixiùs (inquit) ipfum Nardinum loquentem nunc audiamus, qui acerrimè tuetur *Suburram* extitiffe inter Ecclefiam SS. PETRI, & MARCELLINI, & Amphitheatrum Titi, Coloffeum appellatum; ait enim fe legiffein Rufo *Suburra*, *&* *Lupariæ*; ac in Victore *Lupariæ in Suburrà*. Et ex hoc deducit validiffimum argumentum dubitationis expers, nempè, in regione fecundà, ubi funt *Lupariæ*, ibidem extitiffe

Nard. Rom. Antiq. lib 3. cap. 6.

Su

Suburram; ac juxtà Varronis scripta major pars *Suburranæ Tribus* fuit Cœlius mons, & viceversà in Cœlii Regione, juxtà præfatorum Rufi, & Victoris dicta, *Suburræ* via fuit, quæ si recens fuisse asseratur, pernecesse indagandus est modus non solùm *Suburranam Tribum* à Sancto Joanne in Laterano, & à Sancto Gregorio ad Sanctam Luciam in Silice, verùm etiam Cœlimontanam Regionem ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Montibus, ac ultrà extendendi, quod impossibile esse per se patet; ipse enim jàm ostendit, quod Tribus Palatina, & Exquilina adeò conjunctæ erant, ut earum collium radices inter se connecterentur; quare *Suburranæ Tribui* è Cœlio ad recentem *Suburram* se extendendi omnem aditum prohibebant. Deindè ex quatuordecim Regionibus Tertia Isidis, & Serapidis dicta, & Quarta Templi Pacis ad invicem conjunctæ, eam ab Amphitheatro remotam apertè declarant. Secunda insuper Regio è Cœlio ad planitiem descendens illam Isidis, & Serapidis finitimam habebat, quæ in Exquiliarum parte à S. Matthæo in Merulanà, usque ad Sanctum Petrum in Vinculis, includendo Amphitheatrum, se extendebat; quare ab isto Cœlimontana sejuncta erat. Hæc etiam Quartæ Regioni Templi Pacis, ut dictum est, vicina fuit; quæ progrediens per Palatium, & Amphitheatri fines lambens, Metam sudantem eidem Amphitheatro proximam, ac Titi Arcum amplectebatur. Per quam igitur viam, per quem aditum, per quem pontem (Nardinus exclamat) Cœlimontana ad recentem

centem transire *Suburram* potuit?

Huic sententiæ Alexander Donatus eruditè, ac peracutè accurrit, tuendo contrariam, ac duabus præcipuè de causis movetur. Prima ex Divo Gregorio Magno desumpta est, qui Ecclesiam S. Agathæ in *Suburrà* locatam nominat, quæ nimirùm Ecclesia sita est in illà Quirinalis parte, quæ Viminalem respicit. Secundam elicit ex Martiale, qui de Plinii nepotis domo sic cecinit:

D. Gregor. Dial. lib. 3. cap. 30. & Epist. lib. 3. epist. 19.

Martial. epigram. lib. 10. epigr 19.

Illic Orphea protinus videbis
Altum vincere tramitem Suburræ
Udi vertice lubricum theatri,
Mirantesque feras, Avemque Regis,
Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.

Ex quibus elicit Donatus, antiquam *Suburram* à clivo S. Luciæ in Silice, *ad Pantanos* nunc vulgò dictos, ad Amphitheatrum Titi, ad Cæsaris forum, ad S. Agatham in Quirinali, & per consequens ad magnam Viminalis partem se extendisse.

At hanc dilatationem, nimiam vastitatem sapere pluribus ostendit Nardinus, dicens, quod Urbanæ Tribus quatuor fuere, Exquilina, quæ secundùm Varronem Exquilias capiebat, Collina Quirinalem, ac Viminalem, Palatina Palatinum collem, & *Suburrana* Cœlium montem; & possibile erit, (subjungit) quod *Suburra* Exquilinæ partem occuparet, ubi nunc S. Lucia in Silice, magnam Collinæ portionem, ac in se etiam Viminalis, & Quirinalis partem capiens, monti Cœlio à se disiunctissimo, atque remo-

remotissimo *Suburranæ Tribus* nomen imponeret? Præterea Cœlimontanæ Regionis ista, vicus semper extitit, ob idque minor una ex quatuordecim, quas divisit Augustus. Sed eo modo sola *Suburra* totam integram Quartam Regionem cœpisset, magnam partem Quintæ, videlicèt Exquilinæ, partem Sextæ, quæ est Alta Semita, partem Tertiæ, quæ est Isidis, & Serapidis, ac solummodò Cœlimontana, in qua Victor, & Rufus eam ponunt, longè distaret. Perquiratur demùm altera antiqua Regio tantæ amplitudinis, sed tertià minor ea non invenietur.

Rationi ideò à Donato petitæ ab Ecclesià S. Agathæ in *Suburrà* respondit Nardinus, Diaconiam S. Agathæ in Quirinali diversissimam extitisse à Monasterio Sanctæ Agathæ in *Suburrà*; & censet Ecclesiam quandam, quæ ab ipso Pontifice in honorem S. Severini consecranda erat, supervenientibus aliorum Sanctorum venerabilioribus Reliquiis, vel ex alià causà in S. Agathæ honorem dedicatam fuisse; quam Ecclesiam sitam extitisse dicit juxtà Domum Merulanam, idest propè Ecclesiam Sancti Matthæi in Merulanà appellatam, quæ ideò jure denominari potuit super *Suburram*, quia nempè *Suburra* ad eum locum se protendebat.

Orpheum verò à Martiali descriptum in recenti *Suburrà*, ob solam nominis congruentiam S. Luciæ in Orpheà, Sanctique Laurentii in Fonte, valdè infirmam conjecturam esse asserit; nàm præter S. Luciæ in Orpheà, legitur etiam in Ortheà, nec à Donato

negari animadvertit nomen Mœnianum, sive Pergulam ad instar Septizonii non procul distantis, ac etiam fuisse in Orpheà, idque intelligendum esse de aliquà Orphei statuà, quod abs re minimè est; talem enim statuam fuisse perhibetur in Thermis Trajani, aut Titi, quæ hùc protendebantur; & innumeris tandem Romæ confluentibus fontibus, inanè omninò pronunciat, ab illo S. Laurentii in Fonte argumenta depromere voluisse.

Demùm concludit Nardinus, quod omnis planities inter Cœlium, & Exquilias à SS. Marcellino, & Petro usque ad Amphitheatrum *Suburra* denominata fuerit, ac in Regione Secundà Cœlimontanà extiterit, licèt animadvertendum ducat, fines suos propè Amphitheatrum in Isidis, & Serapidis regione habuisse.

His relatis, sed longiori dictamine, subdit illicò Ciampinius: [Audistis igitur, quas unusquisque ex „ præcitatis Auctoribus rationes afferat pro suà de „ *Suburræ* situ tuendà sententià? Superest modò, „ ut pro ipsis conciliandis (si fieri potest) meas afferam conjecturas, quæ licèt auctoritatibus careant, „ fortassè apud indagandæ veritatis studiosos locum „ invenient]. Conjecturæ verò Ciampinii sunt, quod cùm à Varrone *Suburra* appellata sic fuerit, quia sub *muro terreo*; cùm multa alia Urbis loca sub *muro terreo* fuerint, hinc conjiciendum dicit, non tantùm unam, sed plures *Suburras* fuisse; quo pacto nimirùm & *Suburram* propè Exquilias, & secundùm

Ciamp. ibid. c. 28. p. 263.

Marti-

Martinellum in Quirinali ad Pilam Tiburtinam. *Suburram* aliam, & *Suburram* Nardini ab Amphitheatro ad Ecclesiam SS. Marcellini, & Petri, & *Suburram* Panvinii ad Arcum Constantini, & ad Theatrum Marcelli *Suburram* ponit, & collocat; qua ratione totam Urbem *Suburram* facit, immò Orbem implet *Suburris*.

Traditis demùm tot Scriptorum sententiis, addenda meritò est & illa viri eruditissimi Ludovici Monfaucon, qui in suo Diario Italico hæc scribit:

„ [Hinc (videlicèt à loco inter S. Petri ad Vincula, *Ex Monfaucon in Diar. Ital. cap. 9. pag. 131. & seq.*
„ & Colosseum, ubi reliquiæ murorum sunt, quæ
„ fortassis ad Porticum Claudiam, sive ad Palatium
„ Claudii pertinebant) itur in vallem, quæ *Suburra*
„ olìm dicebatur, sitam inter Exquilinum, & Cœ-
„ lium montes, ità ut etiam clivos complecteretur.
„ De *Suburræ* situ, latitudineque controversiam
„ moverunt Donatus, & Nardinus. Donatus qui-
„ dem ait, *Suburram*, quæ à Rufo, Victore, aliis-
„ que Auctoribus in Regione Secundà, sive Cœli-
„ montanà constituitur, complexam fuisse Colos-
„ seum, partem clivi Exquilini versùs S. Luciam in
„ Silice, Forum Cæsaris, Foro Nervæ vicinum, &
„ partem clivi Viminalis, nec non Quirinalis usque
„ ad S. Agatham in *Suburrà*; atque ità *Suburram*
„ longè ultrà limites ab antiquis haud obscurè assi-
„ gnatos extendit, hoc maximè fultus indicio, quod
„ scilicèt Sancta Agatha in *Suburrà* memoretur à
„ Divo Gregorio lib. 3. epist. 10. Quo planè confici

vide-

„ videtur, *Suburram* illam, quæ in Cœlimontanâ „ Regione memoratur, pertigisse usque ad S. Agatham in *Suburrâ*, quæ in clivo Quirinali sita est. „ Omissis aliis, quæ ad tuendas partes profert ille, „ utpotè perplexis, & quæ in utramvis partem quadrare possunt, aliud ex notitiâ Imperii mutuatur „ Donatus, ubi post Forum transitorium *Suburra* „ consequenter inter Quartæ Regionis partes enumeratur. Indicatur autem *Suburra*, quæ ad clivum „ Quirinalis pertingit, in quo clivo S. Agatha in „ *Suburrâ*, & Forum Transitorium proximè sita „ sunt.

„ Nardinus contrà pugnat, inter clivum Exquiliarum, & Cœlii montis circumscriptam *Suburram*, totamque vallem ab Ecclesiâ SS. Petri, & „ Marcellini occupasse, atque repugnare omninò „ *Suburram*, quæ antè divisam ab Augusto Urbem „ in quatuordecim Regiones, ex quatuor Romanis „ antiquis Regionibus *Suburranâ*, Exquilinâ, Collinâ, Palatinâ, una erat, ad cæteras Regiones „ Exquilinam, & Collinam item pertinuisse: hæc „ enim non divisio fuisset, sed confusio. Ad hæc „ constanter Victor, & Rufus *Suburram* in Secundâ „ Regione Cœlimontanâ enumerant, & nusquàm „ alias. Quod dicitur autem, S. Gregorium memorare S. Agatham in *Suburrâ*, quæ *Suburra* proindè ad clivum Quirinalis pertigerit, & *Suburram* „ in notitiâ Imperii reponi inter Quartæ Regionis „ partes; confutat Nardinus, quod notitia Imperii non

„ non multùm auctoritate valeat, utpotè à Constantinopolitano facta; Sanctam porrò Agatham „ à Divo Gregorio memoratam non eam esse, quæ „ hodiè in clivo Quirinalis habetur; sed aliam, quæ „ in antiquâ *Suburrà* erat, quæque populatà per „ Barbaros Regione Cœlimontanà, & dirutà Ecclesià, ad Quirinalem deindè translata, nomen pristinum retinuerit; & populi similiter mutatis sedibus à *Suburrà* illà antiquà in eam Urbis partem, „ quæ hodiè *Suburra* dicitur, nomen *Suburræ* isti „ item indiderint.

„ Illa Donatus, hæc Nardinus; sed uterque partim benè, partim malè edisserunt; nàm quod ait „ Nardinus, antiquam *Suburram* in Secundà solùm „ Urbis Regione fuisse, nec pertigisse ad alias, Victoris, atque Rufi testimoniis firmatur, qui in „ Cœlimontanà solùm, sive Secundà Regione *Suburram* locant, nec memorant in aliis. Quod autem pugnat, S. Agatham in *Suburrà* hodiernà „ non eandem esse, quæ à Divo Gregorio memoratur, gratis omninò dicitur, cùm maximè isthæc „ Ecclesia antiquissima sit, & notitia Imperii, quæ „ quinto circiter sæculo conscripta fuit, *Suburram* „ proximè Forum Transitorium, cui vicinissima est „ isthæc Ecclesia, sitam ferat; nullo quippè fundamento istius notitiæ testimonium respuit; cujus „ Auctor quinto sæculo tametsi Constantinopolitanus, cùm *Suburram* versùs clivum Quirinalis locat, ubi hodièque *Suburra* visitur, non id temerè, suoque

„ fuoque marte in medium adduxit. Donatus ergò
„ optimè infert, S. Agátham in *Suburrà* eandem
„ effe, quam ipfiffimo nomine memorat S. Grego-
„ rius, iftamque Urbis partem proximam Ecclefiæ
„ S. Agathæ *Suburræ* nomen Divi Gregorii tem-
„ pore obtinuiffe. Verùm in eo errare videtur, quod
„ antiquam *Suburram*, quam ille ex parte Cœlii
„ montis anguftioribus limitibus circumfcribit, us-
„ que ad Quirinalem per Exquilinum, & Vimina-
„ lem montes diftendat, contra fidem Auctorum.
„ Putarim ergò iftam Urbis partem, quæ *Su-*
„ *burra* hodièque vocatur, hoc nomen fortitam,
„ five quia aliqua antiquæ *Suburræ* via in hodier-
„ nam deducta, nomen hujusmodi augumento attri-
„ buerit, five aliâ ignotâ de causâ]. Ifta Mon-
faucon.

CAPUT IV.

De Carinis.

QUid inter tot, tamque multiplices infignium Scriptorum opiniones fentiendum fit, haud facilè explicari valet; nihilominùs cùm pro modulo fententiam noftram promere cogamur, quæftionem alteram, ex qua præcedentis aliqualem folutionem pendere arbitramur, proponere duximus, de fitu nempè, & qualitate *Carinarum*.

Carinæ

Carinæ dictæ recensentur fœminæ quædam, quæ laudabantur, quia in funeribus super mortuos flerent, eo vocatæ nomine ex Regione, de qua accersebantur, quæ *Caria* erat. At nomen accepisse *Carinas* Romanas, eo quod *Carinæ* mulieres indiderint loco, quem in Urbe incolerent, nomen è *Cariâ* regione, vel suspicari ineptum esset.

Cæl. Rhodig. lib. 16. cap. 3.

Carinæ vocabulum à currendo exortum, dicit Isidorus, quasi *Currina*; verùm *Carinis* nostris ex hoc nomenclaturam impositam fuisse, nullo indicio probatur.

D. Isid. orig. lib. 19. nu. 2. pag. 125.

Idem asserit Nicolaus Perottus in Cornucop. lingu. latin. in epigramm. 14. Martial. pag. 708. num. 41.

Nicol. Perott. in Cornucop. lingu. latin. in epigr. 14. Mart. n. 41. pag. 708.

Alii ex ædificiis in modum *Carinæ* (nempè partis inferioris navis) constructis, *Carinas* nuncupatas fuisse existimant; sed hæc quoque sententia levi innititur fundamento; cùm enim legatur, in eodem loco ædificia amplissima emicuisse, haud verisimile est, fuisse hæc *Carinali* formâ excitata; & longè improbabiliùs, licèt de aliquo hoc dici posset, cuncta ædificia tantâ in amplitudine, in quantam se protendebat hìc locus, *Carinarum* structurâ fabricata extitisse.

Bart. Marl. lib. 5. cap. 10. Felin. p. 374. Morer. Diction. histor. verb. Carinæ.

Dices, quod antequàm sumptuosa ædificia elaboratâ formâ in *Carinis* eveherentur, aliqua ibidem rudiora *Carinali* figurâ extructâ esse potuerunt, quæ illud loco nomen imponerent; hoc certè verisimilitudine non caret, tamen longè verisimiliùs est, quod

Varr. de lingua latin. lib. 4.

tradit Varro, nempè *Carinas* sic dictas, quia hinc oriretur caput sacræ Viæ; nàm Κάρα latinè caput sonat.

Octav. Pancirol. p.686.

Nardin. l.3. cap. 9.

Luc. Faun. de Antiqu. Rom. lib. 4. cap. 1.

Vel quod alii censent, videlicèt *Carinas* sic appellatas fuisse, quod inversæ *Carinæ* similitudinem præseferrent; & hoc esse verum vocabuli loci ethymon usque adhùc conspicitur, nosque plurieś eundem locum circumlustrando, qua potuimus diligentiâ, animadvertimus.

Celeberrimas autem fuisse in Urbe *Carinas* testantur passìm Auctores, inter quos Virgìlius hæc profert:

Virgil. Æneid. l.8. vers.359.

[*Talibus inter se dictis ad tecta subibant*
Pauperis Evandri, passìmque armenta videbant,
Romanoque foro, & lautis mugire Carinis].

Serv. in Æneid. lib.8. ut supra.

Auctore autem Servio lautas *Carinas* dixit Virgilius, aut propter elegantiam ædificiorum, aut propter Augustum, qui natus est cunis veteribus, & nutritus in lautis *Carinis*.

Et Horatius ad Mecœnatem de quodam Philippo Causidico scribens, hæc cecinit:

Horat. epist. lib.1. epist.7.

[*Strenuus, & fortis, causisque Philippus agendis,*
Clarus ab officiis octavam circiter horam
Dùm redit, atque foro nimiùm distare Carinas,
Jam grandis natu queritur . . . .]

Publ. Vict. reg.4.

Sext. Ruf. reg.4.

Antiquam insuper suam domum in *Carinis* Ciceronem habuisse Publ. Victor, & Sext. Rufus his verbis affirmant: [Domus avita Ciceronis]. Immò ipse Cicero id fatetur in epistolà ad Quintum Fra-

Fratrem, dicens: [Domum tuam in *Carinis* Mundi ,, habitatores Camiæ conduxerunt]. *Epist. Cicer. ad Q. Fratr.*

Balbinum item domum in *Carinis* habuisse, hoc modo scribit Lampridius: [Domus Balbini ,, etiam nunc Romæ ostenditur in *Carinis*]. *Lamprid. in Balbin.*

Sed præ aliis Romanis Civibus, & Proceribus *Carinarum* hìc locus insignitus fuit Sexti Pompeii ædibus, ut in Cæsare Augusto narrat Nicænus Dio in epitom., ejusdem Pompei lepidum quoddam dicterium sic referens: [Post hæc convivia vicissìm ,, utrinque acta sunt, primùm à Sexto in navi, ,, deindè in Continenti à Cæsare, & Antonio. ,, Poterat Sextus utrumque, cùm essent in navi ,, cum paucis, interficere (idque Menæ consilium ,, erat) tamen noluit, sed cùm Antonio jocabatur ,, familiariter, à quo ædes ejus paternæ, quas in ,, *Carinis* habebat, occupabantur. Est autem locus ,, in Urbe, cui *Carinæ* nomen est; quæ appellatio ,, cùm ad partem quoque navis inferiorem perti- ,, neat, facetè dicebat Sextus, se ipsis in *Carinis* ,, epulum dare]. *Dio Nicæn. in epitom. Jo. Niphilin. in Cæsar. Aug. de 25. Imp. Rom. p. 178.*

Et in Additione ad Aurelium Victorem in Sexto Pompeio idipsum hoc modo refertur: [Sex- ,, tus Pompeius in Hispanià apud Mundam victus, ,, amisso fratre, reliquiis exercitus collectis, Sici- ,, liam petiit, ubi ruptis ergastulis, Mare obsedit; ,, interceptis commeatibus Italiam vexavit, & cùm ,, Mari feliciter uteretur, Neptuni se filium con- ,, fessus est, cumque bobus auratis, & equo pla- *In addit. ad Aurel. Victor. in Sext. Pop. pag. 508.*

 cavit.

„ cavit. Pace factà epulatus in navi cum Antonio, „ & Cæfare, non invenuftè ait: Hæ funt meæ *Ca-* „ *rinæ*, quia Romæ in *Carinis* domum ejus Anto- „ nius tenebat].

Bart. Marl. lib. 3. cap. 12. & lib. 5. c. 10.

Idem Marl. in epit. hift. lib. 4. cap. 9.

Carinas verò fuiffe circiter Templum Telluris putavit Bartholomæus Marlianus, qui Templum idem fuiffe credidit propè clivum, qui ducit ad ædem S. Petri in Vinculis, ubi nunc parva Ecclefia S. Martyri Pantaleoni dicata confpicitur; immò totam partem illam Montis, quæ fecundùm *Labicanam Viam*, SS. Quadraginta Martyrum, S. Clementis, S. Petri in Vinculis, & SS. Silveftri, & Martini Templis continetur, *Carinarum* nomine appellatam fuiffe ex Livio probare contendit.

Luc. Maur. de Antiqu. Rom. pag. 68.

Lucius Maurus partem alteram Exquiliarum, quam circumplectitur Via Tiburtina uno brachio, Palatinumque montem refpicit, antiquitùs *Carinas* nuncupatam fuiffe affirmat.

Octav. Pancirol. de Urb. Ecclef. pag. 686.

Octavius Pancirolus in Exquiliis *Carinas* ftatuit, ubi modò Ecclefia Sancti Petri in Vinculis cernitur.

Felinus de Antiq. Rom. pag. 374.

Felinus propè Coloffeum ad Exquiliarum radices, & juxtà nonnullos ad Capitolii afcenfum *Carinas* incœpiffe, & hinc fe protendiffe fecùs *Viam Labicanam* àd SS. MARCELLINUM, & PETRUM, & ad S. Julianum affirmat; indè per Gallieni Arcum, hodiè Sancti Viti, per *Suburræ* Viam, fubtus S. Petrum in Vinculis, fefe ad Coloffeum denuò retuliffe teftatur.

Nar-

Nardinus refellens Blondi, Fulvii, & Marliani ſententias, qui *Carinas* ſuprà Auſtralem Exquiliarum partem, inter Sanctum Martinum in Montibus, & SS. Marcellinum, & Petrum, extendunt; quæ nempè pars Cœlium reſpicit, & novæ *Suburræ*, Coloſſeo, & S. Clementi imminet; aſſerit *Carinas* in Exquiliis conſtitutas eſſe nequiviſſe, quia à Ruſo, & Victore in Regione Quartà, quæ in planitie erat, ſtatuuntur. *Nard. Rom. Antiq. lib. 3. cap. 9.*

Præterea idem Nardinus Livii verba referens, quæ hujusmodi ſunt, ubi de Fulvio Flacco: [Portà „ Capenà cùm exercitu Romam ingreſſus, medià „ Urbe per *Carinas* Exquilias contendit], *Carinas* non in Exquiliis, ſed antè Exquilias extitiſſe oſtendere nititur. Et ſuprà allata Virgilii carmina explicans, Valles Palatino ſuppoſitas, quæ deindè habitari cœperunt, & demùm intrà Urbis mœnia incluſæ fuerunt, *Carinas* fuiſſe autumat. Et alibi *Carinarum* nomen, quod cunctis vallibus, quæ Cœlium inter, & Exquilias, Capitolium, & Palatinum, tributum fuiſſe excogitavit, paulatìm cohibitum, & *Carinarum* vocabulum tantùm inditum fuiſſe vel toti, vel potiori parti viæ illius, quæ vulgò dicitur *de' Pantani*, arbitratus eſt. *Liv. hiſtor. lib. 26. pag. 677.* *Virg. æneid. lib. 8. verſ. 359.* *Nardin. ut ſupra lib. 3. cap. 14.*

Pyrrhus Ligorius deceptos illos, qui *Carinas* in Exquiliis poſuere, credit; quia nempè Varro in Regione *Suburranà*, non verò in Exquilinà eas locavit; quod allato Livii textu comprobare conatur. *Pyrrh. Ligor. pag. 34.* *Varro lib. 4. de ling. lat.* *Liv. ut ſuprà.*

Luc. Faun. de Antiqu. Rom. lib. 4. cap. 1.

Lucius Faunus cenfet, quod univerfa ea Exquiliarum pars, quæ à primâ medietate Tiburtinæ Viæ cingitur, atque à dextero brachio ad Palatinum vergit, *Carina* ab antiquis nominata fuerit.

Bened. Millin MS. apud R. P. D. Severolum.

Varr. de lingu. latin. lib 4. pag. 17.

Publ. Vict. de Reg. Urb. reg. 4.

Benedictus Millinus incœpiffe in Regione Quartâ *Carinas* fub Exquiliis, & propè Cœlium terminaffe putat, juxtà Varronem, dicentem: [Cùm Cœlio conjunctim *Carinæ*]; & Publ. Victorem ponentem in Regione Quartâ *Carinæ caput*; quapropter *Carinæ* totam illam intercapedinem occupabant, quæ inter Exquilinum, & Cœlium invifitur, ab Ecclefiâ SS. Marcellini, & Petri, ad vineam PP. Jefuatorum SS. Joannis, & Pauli, itàut totam planitiem, usque ad Conftantini Arcum comprehenderent, juxtà ipfum Millinum, qui reprobat, allato textui Livii innixus, eorum fententiam, qui *Carinas* in Exquiliis locarunt.

Liv. ut fupra.

And Fulv. lib. 5. cap. 10.

Demùm Andreas Fulvius *Carinas* Exquiliarum locum fuiffe cogitat, quem à Tabernolà (quæ tunc in eo fpatio erat (ut ipfe credit), in quo modò Ecclefia SS. Marcellini, & Petri *Vià Lavicanà*) per fupercilium Exquiliarum ad Gallica fepulcra fe extendiffe, & indè usque ad Ecclefiam Sanctæ Luciæ in Silice deveniffe exiftimat.

CA-

CAPUT V.

De Carinarum *ſitu Scriptorum ſententiæ diſcutiuntur*.

QUid igitur decernendum ſit inter tam varias Scriptorum ſententias, haud facilè percipitur; nàm veri aliquid omnes attigiſſe, falſi plurimum pronunciaſſe, pro certo habemus. Marlianus enim, qui circà Templum Telluris *Carinas*, & hinc partem illam Montis, quæ ſecundùm *Lavicanam Viam*, Quadraginta Martyrum, S. Clementis, S. Petri in Vinculis, & S. Martini Templis continetur, totam *Carinarum* nomine nuncupatam fuiſſe, comprobare nititur ex Livio, licèt partim *Carinas* conſtituat, ubi verè fuiſſe oſtendemus, nimiùm tamen eas extendit, dùm potiori Exquiliarum parti *Carinarum* nomen immeritò impertitur; atque ex Livio deducit, quod Livium necdùm ſomniare potuiſſe evidenter apparet.

Marlianus Antiq. Urb. lib. 2. cap. 12. & lib. 5. c. 10. & in epitom. hiſtor. lib. 4. cap. 9.

Ità pari modò Lucii Mauri opinio, qua *Carinarum* nomen donat parti illi Exquiliarum, quam complectitur brachium Viæ Tiburtinæ, quod ad Sanctum Joannem in Laterano recto ſe tramite extendens *Viæ Lavicanæ* jungitur, & Palatinum reſpicit, ex parte refellenda eſt; nàm & iſte aliquid ſitus *Carinarum* verum agnovit, quamvis potiora ignoraverit.

Luc. Maur. de Antiqu. Rom. p. 68.

Felini

Felinus de Antiq. Rom. pag 374.

Felini sententia ad Exquiliarum radices statuentis propè Colosseum *Carinas*, veritatem præsefert; at cætera, quæ subjungit, à veritate omninò aliena esse inferiùs ostendetur.

Nardin. Antiq. Rom. c. 9. lib. 3.

Nardinus jure optimo Blondi, Fulvii, & Marliani, *Carinarum* situm extendentium ad Australem Exquiliarum partem, opinationes refellit, & ex Livio *Carinas* non in Exquiliis, sed antè Exquilias demonstrat; verùm id, quod addit, nempè eas totam planitiem Cœlium inter, & Exquilias occupasse, utpotè in Regione Quartà constitutas, omninò commentitium est; quapropter immeritò *Carinas* nuncupatas vult primùm omnes valles inter Cœlium, & Exquilias, & Palatinum inter, & Capitolium, deindè vel totam, vel potiorem partem viæ nunc *de' Pantani* dictæ; quia hoc modo immoderatiùs, quàm par est, cunctis penè antiquæ Urbis vallibus *Carinæ* nomen impingit, vel è contrà perperam, nullique innixus testimonio viæ dictæ *de' Pantani* tantùm *Carinæ* vocabulum tribuit. Nec obstat, quod à Rufo, & Victore *Carinæ* in Regione Quartà constituantur; & quod Regio ista in planitie recenseatur, nàm in Regione eàdem ipsimet Auctores & Templum Pacis, & alia statuunt ædificia, quæ tamen nullatenùs in planitie fuisse deprehenduntur.

Prætereà, licèt secundùm ethymon, quod tradit Nicolaus Perottus, qui à *Carinà* Carinatum, idest concavum educit, *Carinæ* vocabulum

conca-

concavitatem indicet, non tamen ex eo inferre potest Nardinus, Romanis *Carinis* id nomen datum, quia concavæ essent; nàm sicut omnis concavitas *Carina* non est, ità planè omne, quod *Carina* dicitur, concavum non est; & cùm ex inversæ *Carinæ* formà loco huic nomen inditum Scriptores putarint, ut supra diximus, à concavitate iccircò *Carinarum* nomen frustrà deducitur; inversa siquidem *Carina* non concavitatem, sed altitudinem, & sublimitatem potiùs quandam exhibet, ut intuenti apparet.

Ligorius pariter veri aliquid detexit, cùm deceptos eos, qui in Exquiliis *Carinas* posuere, pronunciavit, quia nempè, Varrone teste, in *Suburranà* Regione extabant; sed cùm eas medias inter Cœlii clivum, & Exquilias locavit, earum potissimum situm omnimodè non invenit. *Pyrrh. Ligor. Antiq. Rom. pag. 34.*

Millinus, qui in Regione Quartà sub Exquiliis incœpisse *Carinas* credidit, verisimile aliquid dixit; uerùm cùm ex Varrone dicente: [Cùm Cœlio con-„ junctim *Carinæ*]; & Publ. Victore, totam illam intercapedinem, quæ Cœlium inter, & Exquilinum colles invisitur, *Carinas* fuisse existimaverit, omninò earum situm se non agnovisse indicavit; nàm cùm Cœlio conjunctæ esse quiverunt *Carinæ*, absque eo quod totam eam intercapedinem occuparent; cùm enim planities illa propriè *Suburra* esset, ut infrà ostendetur, parsque illius media ad Cœlium spectaret, altera verò ad *Carinarum* clivum pertineret, licèt *Carinæ* unum tantùm planitiei latus occuparent, *Millinus in MS. Codice apud R.P.D. Severolum. Varr. ut sup.*

rent, nihilominùs cùm Cœlio conjunctæ meritò dicebantur, quia nempè cùm eà vallis, vel planitiei parte, quæ ad Cœlium attinebat, unitæ erant.

Andr. Fulv. Antiq. Rom. lib. 5. cap. 10. Luc. Faun. de Antiqu. Rom. lib. 4. cap. 1. Oct. Pancir. de Urb. Ecclef. pag. 686.

Demùm licèt in fuprà allatis Scriptorum opinationibus aliquid veri, aliquid non veri compererimus, fateri tamen cogimur, in Andreæ Fulvii, Lucii Fauni, & Octavii Panciroli fententiis nil ferè animadvertiffe, quod faltèm veritatis aliquid redoleret.

CAPUT VI.

Quonàm in loco Carinæ *fuerint, probabiliter demonftratur.*

Recentiorum ponderatis fententiis ab Antiquorum auctoritate veritatem inquiramus.

Varro de lingu. latina lib. 4. Publ. Vict. de Reg. Urb. Reg. 4.

Carinæ ex Varrone, eo nomine nuncupatæ funt, quod hinc caput Sacræ Viæ oriretur; hæc verò Sacra Via à Publ. Victore in Regione Quartà ftatuitur, in qua eàdem *Carinas* ponit, quo penitùs Varronis fententiam comprobet, quæ hujufmodi eft:

Ibid. ut fup. Donatus de Urbe Roma lib. 2. cap. 12. pag. 138. Nard. Rom. Antiqu. in Reg 4. lib. 3. c. 12. p. 125.

„ [Ceriolenfis à *Carinarum* junctu dictus *Carinæ*,
„ poftea Cerionia; quod hinc oritur caput Sacræ
„ Viæ]. Id autem Sacræ Viæ caput, juxtà communem Scriptorum opinionem, fuit ad Titi Amphitheatrum, modò Colofleum, ut teftantur Donatus, Nardinus, & alii innumeri, licèt ex iis nonnulli

errore

errore decepti ibidem non caput, ſed finem Viæ ejusdem recenſeant, quia nimirùm terminos à quo, & ad quem ſatis non perpenderunt; ſi enim animadvertiſſent, quod ſubdit Varro poſt allata verba: „ [Quod hinc oritur (nempè à *Carinis*, ſeu Cerionia) caput Viæ Sacræ ab ſtreniæ Sacello, quæ pertinet in arce, qua ſacra quotquot menſibus feruntur in arcem, & per quam Augures ex arce profecti ſolent inaugurare, &c.], caput profectò Viæ, & ejusdem finem ſtudioſiùs libratis terminis agnoviſſent.

Marlian. l. 3. c. 26. p. 53. Luc. Maur. de Ant. Rom. c. 3. pag. 30. Luc. Faur., & alii.

Varr. ut ſuprà.

Sacræ Viæ caput igitur à Coloſſeo incipiebat, quo in loco Ceriolenſis, ſeu Cerionia extabant, à *Carinarum* junctu ſic nuncupata; non diverſa hæc erant à *Carinis*, ſed inter eas, uti à præcitato Varrone adnotatur: [Cùm Cœlio (inquit) conjunctim *Carinæ*; ſed inter eas, quem locum *Cenorienſem* appellatum apparet, quod primæ Religionis *Quartum Sacrarium* appellatum ſic eſt, &c.]; conjunctas autem cùm Cœlio Varronem pronunciaſſe *Carinas* eà ratione exiſtimandum eſt, non quod *Carinæ* Cœlianum clivum pertingerent, & ſic totam planitiem occuparent, ſed tantùm quod in ſubjectà valle viciſsìm diſſecarentur *Carinæ* à Cœlio, & Cœlium à *Carinis*. Has poſteà juxtà Exquiliarum radices, eodem ſemper Cœlio coram ſe extendiſſe, donec ſubjecta eadem vallis, ſeu planities fine concluderetur, nempè ad Eccleſiam Sanctorum Martyrum MARCELLINI, & PETRI, non

Varr. ut ſuprà.

audacter affirmari poffe cognofcitur.

Carinas nihilominùs propriè arbitramur non fuiffe ipfam fuppofitam planitiem, feu vallem eà videlicet in parte, quæ ad *Carinas* ipfas, ut dictum eft, fpectabat, & cùm Cœlii ejusdem vallis parte alterà conjungebatur; fed tantùm monticulorum quorundam inter fe difiectorum catenæ cuidam, feu jugo, quod ad Coloffeum, vel circiter incipit, & ad præfatam Ecclefiam usque pertingit, hoc nomen veteres appofuiffe cenfemus. Hi fiquidem modiciffimi colles finguli inverfæ navis fimilitudinem exhibent, & Exquiliarum Auftrale latus, unus altero major paulatìm progredientes amplectuntur; fimùlque omnes usque adhùc oftendunt, non ab arte, fed à naturà, non ab ædificiis, fed à terræ fitu *Carinarum* fibi nomen vindicaffe.

Quapropter his antiquorum teftimoniis innixi, & à folerti ftudio, quo loca perluftravimus, permoti, penè, ut diximus, recentiorum omnium opinationes hac de re refellere cogimur. Cùm enim à Varrone *Carinæ* dicantur à capite Viæ Sacræ, quod apud Coloffeum extabat; quis eas cùm Bartholomæo Marliano tam longè à præfato capite Viæ Sacræ, & à Coloffeo, uti erat Templum Telluris, & ubi modò Ecclefia S. Pantaleonis, ritè locare poterit? Si hæc Exquiliarum pars *Carinæ* fuerunt; quo modo, qua vià cum Cœlio excogitari poffunt conjunctæ? Et tandem, fi cum eodem, tota pars illa montis, quæ fecundùm *Lavicanam Viam*, Qua-

Barth. Marlian. libro 3. cap. 12., & lib. 5. cap. 10.

Idem in epitom hiftor. lib. 4. cap. 9.

Quadraginta Martyrum, S. Clementis, S. Petri in Vinculis, & S. Martini Templis continetur, *Carinarum* nomine appellata fuit, & sic tam amplam Exquiliarum partem obtinuere, quomodo Varro ipse in tam exactà, quam tradidit, Exquiliarum descriptione tanti ponderis rem reticuit? Et cùm scripserit, in Exquiliis duos montes fuisse Cispium, & Oppium, cur non addidit etiam *Carinarum* tertium, si potissimam Exquiliarum partem possedissent? *Varro de lingu. latin. lib. 4. pag. 9.*

Eàdem pari ratione Lucii Mauri, qui eam Exquiliarum partem, quam Viæ Tiburtinæ primum brachium amplectitur, & Palatinum respicit, *Carinas* putavit, assertio reprobatur; nàm ab Antiquorum aliquo non didicimus, *Carinas* tantam Exquiliarum partem obtinuisse; quo etiam Octavii Panciroli opinio refellitur, qui in Exquiliis, ubi modò Ecclesia S. Petri in Vinculis, *Carinas* fuisse, asserere non dubitavit. *Luc. Maur. Antiq. Urbis Rom. p. 68.* *Oct. Pancir. d. Urb. Eccl. pag. 686.*

Felini etiam sic sententiam rejicimus, vel in eo quod *Carinas* ad Capitolii ascensum extitisse dixit, vel in altero, quod asseruit, nempè eas per Gallieni Arcum, hodiè S. Viti, per *Suburræ* viam, subtus S. Petrum in Vinculis ad Colosseum rediisse; nàm ex allatis deprehenditur, nec propè Capitolium esse potuisse, nec in tantam amplitudinem se produxisse. Nardini, Ligorii, Millini, aliorumque sententias contrà nostram opinationem pluribus suprà explodimus, ideò brevitatis gratià denuò ipsis hìc respondere prætermittimus. *Felinus de Antiq. Rom. pag. 374.*

Livii

Livii tamen testimonium, quod plerique perperam interpretati sunt, quia nostram sententiam confirmat, omittendum non duximus: [Quò propius (inquit de Annibale disserens) hostis accedebat, eò major cædes fiebat fugientium, præcedentibus Numidis, pluresque omnium generum, atque ætatum capiebantur. In hoc tumultu Fulvius Flaccus Portà Capenà cum exercitu Romam ingressus, medià Urbe per *Carinas* Exquilias contendit]. Ex quo apertè colligitur, non in Exquiliis, sed antè Exquilias *Carinas* fuisse, nàm per eás Flaccus Exquilias contendit. Et cùm suprà ex Varrone *Carinæ* fuerint circà Colosseum, ubi caput Viæ Sacræ, & Cœlio conjunctæ, fatendum est iccircò, non rectè alibi Auctores *Carinas* easdem statuisse.

Tit. Liv. hist. ab Urb. cond. lib. 26. p. 677

CAPUT VII.

Quonàm loco fuerit Suburra *ostenditur*.

VArro cùm disserit de Regionibus Urbis, in *Suburranà*, quam primam recenset, hæc dicit: [Eidem Regioni attributa *Suburra*, quod sub *muro terreo Carinarum*, in eo est Argeorum Sacellum]. Quapropter si sub *muro terreo Carinarum* constituta fuit *Suburra*, explanato à nobis *Carinarum* situ, *Suburræ* ejusdem etiam locum tali pacto patefecimus; *Suburræ*, inquàm, non

Varr. ut supra pag. 8.

non *Regionis*, nec *Tribus*, de quibus infrà, ſed viæ, vel loci cujusdam in eàdem Regione conſtituti, à quo ipſa *Suburrana* quoque appellata fuit.

Confirmat, & explicat Varro idem, quod dixit ethymon, ex Junio proferens, ejusdem *Suburræ* his verbis: [*Suburra* (Junius ſcribit) ab eo, quod fuerit „ ſub antiquà Urbe, cui teſtimonium poteſt eſſe, *Varro ibid.*
„ quod ſubeſt ei loco, qui *terreus murus* vocatur.
,‘ Sed ego à *Pago* potiùs *Succuſano* dictam puto
„ *Succuſam*. Nunc ſcribitur tertià litterà *C*, non *B*,
„ *Pagus Succuſanus*, quod ſuccurrit *Carinis*].

Oſtendit Junius ex ethymologià *Suburræ*, ipſam ſic dictam, quod fuerit ſub antiquà Urbe, nempè ſub Palatino; confirmat Varro ethymologiam Junii, ex eo quod *Suburra* ſubeſſet ei loco, qui *terreus murus* vocabatur, quemque ſuprà dixerat ad *Carinas* pertinuiſſe. Si igitur ſuberat Palatino *Suburrà*, *Carinis* ſuberat; quis diffiteri poterit mediam ipſam ſtetiſſe inter *Carinas*, & Palatinum, & immeritò alibi ab Auctoribus proindè locatam fuiſſe?

Verùm cùm *Suburræ* ethymon aliud tradat Varro ipſe, illudque priore meliùs cenſeat, non tamen ex hoc *Suburræ* locum immutat. À *Pago* ſiquidem *Succuſano* dictam putat *Succuſam*, & ſcribi aſſerit tertià litterà *C*, non *B*; *Pagum* verò *Succuſanum* fuiſſe refert ſic nuncupatum, quod *Carinis* ſuccurreret. Non erat igitur longè à *Carinis* iisdem conſtitutus, & per conſequens nec à loco abe-

aberat, in quo *Suburram* statuimus, cui nomen dederat.

Immò notandum, novà, quam tradidit, *Suburræ* hac ethymologià Varronem, non *Suburræ* ejusdem situm, quem adscripserat sub *muro terreo Carinarum*, commutasse, sed tantùm nominis originem patefacere voluisse; nàm ex hoc, quod à *Pago Succusano* appellatam *Suburram* recensuit, fuisse ipsam alibi, quàm sub *Carinis* certè non intulit.

Nec tamen ex adductà Junii à Varrone sententià, qua censuit, *Suburram* sic dictam fuisse ab eo, quod sub antiquà Urbe extiterit, mediam tantùm inter Palatinum, & *Carinas*, ut innuimus, stetisse eandem *Suburram* existimandum est; quia cùm Urbs antiqua solis Palatini montis limitibus contenta minimè fuerit, sed ad Cœlium vel à Romulo, vel à Tullo Hostilio, ut tradunt, protensa; hinc est, quod non tantùm Palatinum inter, & *Carinas*, sed inter istas, & Cœlium quoque *Suburra* ampliori spatio se dilataverit; adeò ut cùm ambitu majori Cœlio, quàm Palatino subesset, Cœlius idem in eà Princeps fuerit nuncupatus; & licèt ex parte alterà æquè *Carinas* complecteretur, ac Cœlium, tamen modicissimos *Carinarum* colles in eà Cœlio principatum cessisse arbitramur, utpotè ei, qui & magnitudine, & antiquitate eis præstabat.

Nardinus, & alii ut supra.

Totam planitiem eam igitur, seu vallem, quæ inter *Carinas* primùm, & Palatinum ad Colosseum, vel

vel circiter, deindè inter *Carinas* ipsas, & Cœlium invisitur, *Suburram* fuisse, asserere non veremur; nàm sic & sub antiquà Urbe, nempè sub Palatino, & Cœlio, & sub *muro terreo Carinarum* producebatur, & à *Succusano Pago* non longè constituta, ab eodem sibi nomen assumere poterat. Rem hanc ità Festum comprobare voluisse cognoscitur, scripsit enim: [*Suburranam* Tribum anteà *Succusanam* „ per C appellabant, ex nomine Regionis, nàm „ partem imam illam quoque credunt fuisse di- „ ctam]; quo ostendit *Suburræ*, quam prænotavimus, planitiem, seu vallem, & situm; & sicut à loco dictam *Regionem*, ità quoque à *Regione* dictam postmodùm *Tribum* demonstrat. *Pagus* autem *Succusanus* in Exquiliis ritè locatur inter Prænestinam Portam, hodiè Majorem, & Ecclesiam Sanctorum Marcellini, & Petri, juxtà quam unà cum valle, quæ incipit inter Palatinum, & *Carinas*, & posteà inter *Carinas*, & Cœlium progreditur, *Suburra* quoque, quæ nil aliud erat, quàm vallis ipsa, seu planities, fine concludebatur.

Sext. Pomp. Fest. de verb. signif. lib. 17.

Nec cùm Donato contrà Arcum Constantini fuisse *Pagum Succusanum* dicendum est; quia cùm hìc locus ad Cœlium spectet, & collis hìc in antiquà Urbe includeretur; cùm ab ipsà sejunctus procul dubio fuerit *Pagus*, profectò sequitur eundem alterà in parte extitisse. Quibus addenda ex MS. Cod. Vaticano contrà Panvinium, circà eundem locum *Succusanum Pagum* statuentem, quæ sequuntur, ubi de

Donat. de Urbe Rom. lib. 3. cap. 10. pag. 236.

MS. Codice Vatic. *Suburrà*: [Major argumento vis ex iis, quæ à Festo
„ allata à *Stativo Præsidio*, &c. Etenim *Pagi*
„ illius præsidium pro Exquiliis in Gabinos incon-
„ sultò procul absuisset ab Exquiliis inter Palati-
„ num, & Cœlium, & à parte, quæ adversùs Ga-
„ binos, cùm quidquid spatii inter hanc ædem, &
„ Portam Gabinam, idoneum summoperè fuerit
„ tutandis à Gabino quovis impetu Exquiliis non-
„ dùm clausis, quas tamen, quò tutiores redderet
„ Tarquinius, firmissimum extruxit aggerem].

Suburram autem non effecisse, quin cùm Cœlio conjunctæ essent *Carinæ*, jàm supra ostendimus; cùm enim media planitiei, seu vallis pars ad Cœlium spectaret, altera pertineret ad *Carinas*, licèt tota vallis, seu planities *Suburra* appellaretur, Cœlium tamen à *Carinis*, vel *Carinas* à Cœlio minimè segregabat: immò sicut in *Carinis* alia locis in iisdem constitutis nomina indita fuere, ut illud Cerioniæ, seu Ceriolensis, absque eo quod loca ipsa vel in *Carinis* esse, vel ad *Carinas* spectasse, vel *Carinas* esse existimarentur; ità *Suburra* vocata esse potuit & *Carinarum* pars una, & Cœlii altera, absque eo quod vel ad Cœlium, vel ad *Carinas* locum pertinuisse asseratur.

Ambiguitatem aliquam nihilominùs ingerere videtur Varronis auctoritas, cùm eà Festi collata; Varro siquidem, ubi de *Suburrà*: [Ego (inquit)
Varro de lingu. latin. lib. 4. „ à *Pago* potiùs *Succusano* dictam puto *Succusam*;
„ nunc scribitur tertià litterà *C*, non *B*; *Pagus*
Suc-

Succusanus, quod succurrit *Carinis*].

Festus verò sic loquitur: [*Suburram* Verrius „ alio libro à *Pago Succusano* dictam ait; hoc „ verò maximè probat eorum auctoritate, qui „ ajunt, ità appellatam & *Regionem* Urbis, & „ *Tribum* à Stativo Præsidio, quod solitum sit „ succurrere Exquiliis, infestantibus eam partem „ Urbis Gabinis, indicioque esse, quod adhùc ea „ *Tribus* per *C* litteram, non *B* scribitur]. In hoc autem inter se pugnare videntur Varronis, & Festi opiniones, quod unus à succursu *Carinis* præstito *Pago Succusano*, & hinc *Suburræ* nomen tributum censeat; alter verò à succursu Exquiliis suppeditato nominis ejusdem ethymologiam derivasse arbitretur. Verùm cùm tam conjunctæ Exquiliis *Carinæ* adhùc conspiciantur, & Gabinorum incursionibus æquè ac illæ fuerint obnoxiæ; mirùm non est, Sextum à succursu Exquiliis exhibito, alterum verò à succursu *Carinis* allato nomen *Pago*, & hinc *Suburræ* præstitum fuisse excogitasse; & cùm ex hoc minimè inferri possit, in alio fuisse *Pagum*, quàm in eo, quem pronunciavimus, loco nostræ *Suburræ* adhærente, profectò sequitur, *Suburram* eandem in situ, quem diximus, & non alibi fuisse.

Sext. Pomp. Fest. de verb. signif. lib. 17. pag. 1207.

CAPUT VIII.

An aliud fuisse Urbis Regiones ***; aliud*** Tribus ***censendum sit, & de nomine à*** Regionibus***, vel*** Tribubus ***suis hominibus, & vicissìm ab istis aliis Urbis locis indito.***

AT quia à Varrone *Suburra* etiam inter *Regiones* Urbis recensetur, & à Festo hæc ipsa *Tribus* nomine nuncupatur, & passìm apud Scriptores *Suburra* indistinctè *Tribus*, & *Regionis* titulo designatur; hinc operæ pretium duximus, quid *Tribus*, quidvè *Regio* fuerit, & in quo à *Regione Tribus*, & à *Tribu Regio* differant, vel breviter explanare.

Thom. Dempster. Antiqu. Rom. lib. 1. cap. 12., & alii. *Regio* dicta est à regendo, quod priùsquàm Provinciæ fierent, *Regiones* sub Regibus erant, atque ab his regebantur; aut, ut alii putavere, *Regiones* dictæ sunt quidem à verbo *regere*, sed cùm significat circumscribere, definire, quòd *Regiones* certis circumscriberentur finibus, atque regerentur; *Cicer. Orat. pro Sext.* sic Cicero pro Sext. *Regionis* vocabulo utitur: [Quæ „ *Regio*, orave terrarum erat latior, in qua non Re- „ gnum aliquod statueretur]; sic Ovidius *Regionis* nomen usurpavit:

Ovid. eleg. 4. lib. 4. [. . . . . *quamvis longè* Regione *remotus*];

& sic demùm Plautus, Tibullus, & alii vocem hanc adhi-

adhibuere. A similitudine posteà earum *Regionum*, in quas Orbis partiebatur, Romani Urbem divisere in quatuor partes, *Regionis* nomine singulis attributo, quarum prima *Suburrana*, secunda *Exquilina*, tertia *Collina*, & quarta *Palatina*; & hæc quidem Urbis divisio in quatuor partes, seu *Regiones* à Servio Tullo facta duravit usque ad tempora Augusti: is enim Urbem primùm in alias præter quatuor *Regiones* distribuisse perhibetur. *Regionis* pars est vicus; quippè Urbs in *Regiones*, tanquàm in majora membra, & in vicos, tanquàm in minora dividitur; & hoc nomine nuncupatus est, quod vias circum habeat.

Plaut. Men. sc. 2. act. 3. Tibull. lib. 4.

Varro de lingu. latin. lib. 8. pag. 4.

Sueton. in Aug. cap 10. Plin. lib. 4. cap. 10. Tacit. lib. 15. Annal.

Tribus autem aliud procul dubio ethymon habet à *Regione*; triplici siquidem modò vocabulum hoc usurpatur; aut pro loco, aut pro hominibus, aut pro jure. Quando pro loco ponitur, tunc partem quandam Urbis significat; quando verò pro hominibus, tunc partem quandam Civium denotat; pro jure acceptum jus alicujus partis Urbis, vel Civitatis designat. Hæc ex Thoma Dempsterio vocabuli *Tribus* explanatio; verùm ut plurimùm nil nisi homines propriè indicasse, verisimiliùs mox ostendemus, & ipse alibi id fassus fuisse his verbis videtur: [Urbem Romam Romulus in tres partes di-
„ stribuit, quas *Tribus* appellavit, Dionysio, &
„ Livio testibus. Varro eas partes appellat, hæ
„ fuerunt Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum.
„ An verò *Regiones* dici possint, dubitari potest, sed

Thom. Dempster. Antiqu. Rom. lib. 6. cap. 15.

tamen

„ tamen habent cognationem aliquam cum *Regio-* „ *nibus*, eo ipso quod unaquæque harum *Tribuum* „ propriam sedem in Urbe occupavit]. Si igitur ex eo tantùm, quod *Tribus* occupabat Regionis partem, cognationem aliquam cum *Regione* habebat, eadem ergò non erat, ac *Regio*; sicut enim hæc semper Urbis partem etiam sine *Tribu* significavit; ità *Tribus* nomen homines significare potuit sine *Regione*, & per consequens aliud *Regionis* nomine, aliud *Tribus* prænotabatur.

In Urbe autem Romà *Tribuum* primus auctor fuit Romulus, quà de re Dionysii, omissis cæterorum Scriptorum sententiis, testimonium proferimus:

Dionys. Hal. lib. 2.

„ [In tres (inquit) partes divisà universà multi- „ tudine, singulis præclarum aliquem virum Ducem „ præposuit, deindè unamquamque rursùm in de- „ cem partitus, totidem fortissimos viros eis præ- „ fecit. Has *Curias*, illas vocari voluit, sicut vo- „ cantur & hodie]. Hæc ille; cui consonat, quod Divus Augustinus docuit illud Psalmi explicans:

Divus Augustinus in Psalmo 121. en. r. tom. 8.

„ [Illùc enim ascenderunt *Tribus*, *Tribus* Do- „ mini, &c.]; nàm *Curias* non aliud fuisse quàm *Tribus* exponit, dicens: [Sed quid sunt *Tribus*? „ Multi noverunt, multi non noverunt. Sed & qui „ novimus, descendamus ad illos, qui non nove- „ runt *Tribus*, ut nobiscum ascendant, quò ascen- „ derunt *Tribus*. *Tribus* alio nomine dici possunt „ *Curiæ*, sed non propriè. Itàque *Tribus* uno no- „ mine vicino, alio propriè dici possunt; sed vicino di-

„ dicuntur *Curiæ*; nàm propriè si dixerimus *Curias*, „ non intelliguntur nisi *Curiæ*, quæ sunt in Civitatibus singulis, singulæ, undè dicuntur *Curiales*, „ & *Decuriones*, idest quod sint in *Curià*, vel *Decurià*; & nostis, quia tales *Curias* singulas habent „ singulæ Civitates. Sunt autem, vel erant aliquando in istis quoque Civitatibus *Curiæ* etiam „ populorum, & una Civitas multas *Curias* habet, „ sicut Roma trigintaquinque *Curias* habet populi: „ Hæ dicuntur *Tribus*. Has populus Israel duodecim habebat]; ex quibus colligitur, *Curias* secundùm Dionysium etiam acceptas, *Tribus* significasse, & *Tribum* non aliud, quàm ejusdem homines potissimùm indicasse, non verò Urbis partem; quapropter Paullus Manutius: [Multitudinem omnem (inquit) Romulus, quam minùs tribus hominum millibus, ac trecentis fuisse Dionysius „ significat, in tres partes distribuit, quas vocavit „ *Tribus*; & eas rursùs in denas, quas appellari „ *Curias* voluit, quod iis, ut Festus videtur ostendere, publicarum rerum cura committeretur: „ siquidem *Curiatis* Comitiis creati Magistratus, „ leges latæ, bella decreta, non modò Romulo regnante, verùm etiam perpetuà Regum quatuor „ successione usque ad Servium Regem, qui Centuriatis Comitiis institutis, *Curiata* non ille quidem omnia sustulit, sed ità debilitavit, nihil ut „ iis majorum rerum mandaretur, speciem quidem „ aliquam Comitiorum retinerent, tota verò, si quid

Paull. Manut. de Civit. Rom. par. 2.

„ quid consulendum graviùs, Centuriatorum po-
„ testas esset. Ergò tres *Tribus*, quibus in singulis
„ mille peditum, centeni equites fuere, deinceps
„ triginta *Curiæ*, quæ centenos pedites, denos equi-
„ tes haberent; postremò etiam Decuriæ decem è
„ singulis *Curiis* à Romulo institutæ; Ducesque
„ singulis ordinibus, fortitudine excellentes Viri,
„ Tribuni, Centuriones, Decuriones præpositi.
„ *Curiis* autem sua cuique loca, ubi immolaretur,
„ assignavit]. Ista Manutius, quibus significat, aliud certè nomen *Tribus*, & *Curiæ* prænotasse, quàm *Regionem*, seu Urbis partem.

Tit.Liv.hist. Rom.lib.1.

Alii autem Servium Tullum, non Romulum primum *Tribuum* auctorem fuisse tradunt, inter quos Livius has tres populi partes, non *Tribus*, sed equitum Centurias vocat; sed & sic nostram sententiam comprobat. Verùm quod præ cæteris nostra interest, evidens est, vel antè *Regionis*, fuisse *Tribus* in Urbe; & aliud *Regiones*, aliud *Tribus* nomine significatum fuisse, ex præfati Dionysii Halicarnassei altero testimonio, scribit enim: [Cæterùm

Dionys.Helic. lib.4.

„ Tullius postquàm septem Colles uno muro com-
„ plexus, Urbem in quatuor partes divisit, à col-
„ libus cognominatas, *Palatinam*, *Suburranam*,
„ *Collinam*, & *Exquilinam*, & quatuor *Tribus*
„ esse fecit, quæ ad id temporis tres fuerant, suos-
„ que cuique Tribulos adscripsit, divisa habituros
„ munia, nec mutaturos domicilium, ità ut in qua-
„ que seorsìm delectus militum, & collationes Tri-
butorum

„ butorum fierent, nec jàm juxtà illas generales „ *Tribus*, ut anteà, ſed juxtà has quatuor, per „ locos à ſe digeſtas, vel locales, ordinabat mili- „ tiam, Tribunis in ſingulos præpoſitis, &c.] Sic Dionyſius, ex quo, ut innuimus, infertur aliud fuiſſe *Regionem*, aliud *Tribum*; *Regionis* ſiquidem nomine Urbis pars aliqua appellabatur, quo nempè vocabulo Urbis partes tantummodò nuncupatæ ſunt, poſtquàm Tullius in quatuor Urbem eandem diviſit: *Tribus* verò ad homines potiùs ſpectabat, quæ tamen cum in eà *Regione* eſſet, quæ ex. gr. *Suburra* vocabatur, poſt præfatam Tullii diviſionem *Suburranæ Tribus* nomine notabatur; undè licet ex eà, vel ad bellum inferendum, vel ad aliud milites, & homines educerentur, tamen haud alio nomine, quàm *Suburrani* nuncupabantur, ex nomine videlicet indito à *Suburrà Regioni*, à *Regione Tribui*, & à *Tribu* eam conſtituentibus, vel ex eà prodeuntibus; ità ut immoto ſemper in eo, quem prædiximus, loco *Regionis*, & *Suburræ* ſitu, *Tribus* tamen *Suburræ* in Urbis præſidium, vel ob aliam, quæ excogitari poteſt, cauſam, aliò ſuam gentem immittere potuerit, *Suburræ* ſemper eidem ſervato nomine.

Familias autem, & homines hoc cognomento dictos fuiſſe, videre eſt in Anaſtaſio Papa IV., ut refert Ciacconius; nàm primùm [*Cbunradus de* „ *Suburrà Romanus*] nuncupatus legitur; indicioque eſt, hoc gentis, & familiæ cognomentum

Ciaccon. to. I. ſub an. 1124. pag. 966. & 1055.

extitisse, apud eundem reperiri [*Gregorium de Suburrà Cardinalem*], eo quod scilicet præfati Anastasii nepos fuerit. Quod etiam testantur insignia, quæ summâ benignitate Eminentissimi, & Reverendiss. Principis Petri Cardinalis Otthoboni S. R. E. Vice-cancellarii, optimarum Artium præstantissimi Mecœnatis, ex amplissimâ ipsius Bibliothecâ, librorum præstantiâ, & fortè etiam numero soli Vaticanæ concedente, ut observat Monfaucon in suo Diario Italico, accepimus documenta; nàm in quibusdam MSS. Cod. adnotatam reperimus sepulcralem Inscriptionem, in antiquâ S. Eustachii Ecclesiâ olìm existentem, hoc modo:

Monfaucon Diar. Ital. c.18. p.253.

MSS. Cod. Bibliothecæ Cardin. Orthobon.

HIC IACET DOMINVS PHILIPPVS
DE *SVBVRRA* MILES ROMANVS,
QVI OBIIT ANN. DOM. MCCCIII.
VLT. DECEMBRIS INDICT. I.

Immò ex ipsâ insigni Bibliothecâ in Codd. Arnoldo Wiron adscriptis tom.2. pag.134. expressè legitur: *Suburra familia*, &c.: quod idem in plerisque aliis legere licuit, nàm in Elencho Familiarum Urbis nobilium per Joannem Petrum Scriniarium Notarium Romanum exarato legitur: [*Nobiles de Suburrà antiquissimi sunt, sic dicti Anteii, quoniàm ibi babitaverint*; quem MS. Cod. accepimus ab Illustriss. D. Prospero Boccapadulio. Morem verò hunc ex *Regionibus* dicendi homines, & familias, perve-

pervetustum fuisse, in Anastasio observatur, qui non raró Pontifices hoc modo denotat, ubi de ipsorum origine agit; nàm dicit: [Clemens Romanus de „ *Regione Cœlio monte*. Calixtus de *Regione Urberavennatio*. Marcellus de *Regione Vià latà*. „ Anastasius de *Regione Quintà Tauma Caput* „ *Tauri*. Joannes II. *de Cœlio monte*. Eugenius „ de *Regione Primà Aventinæ*. Hadrianus de *Regione Vià latà*. Sergius II. *Regionis Quartæ*. „ Hadrianus II. *Regionis Tertiæ*. Stephanus VI. de „ *Regione Vià latà*]. *Anastas. Bibliotb.*

At sicut à loco *Regionibus*, & à *Regionibus* nomen *Tribubus* donatum, ità vicissìm à *Tribubus*, vel ab hominibus ex eis egressis *Regionibus*, & locis, quæ postmodùm incoluerunt, nomen impositum fuit, ut usque modò testatur Via, quæ in Urbis Suburbio extat, & *Saxia* appellatur, quia nempè in eodem loco Saxones degerunt. Antiquitùs enim hunc morem ex Incolis *Regiones*, & Urbis partes nominandi inolevisse, ex Varrone desumitur: [*Cœlius* mons (inquit) à *Cœlio Vibenno Thusco*, „ Duce nobili, qui cùm suà manu dicitur Romulo „ venisse auxilio contrà Latinum Regem. Hinc „ post Cœlii obitum, quod nimis munità loca te- „ nerent, neque sine suspicione essent, deducti „ dicuntur in planum, ab eis dictus *Vicus Thuscus*]. En à quo dictus *Cœlius*, à quibus *Vicus Thuscus* nomen desumpsit, nempè à *Cœlio* Rege, & *Thuscis* è Cœlio Monte traductis; nàm sicut *Varro de ling. latin. lib. 4.*

Nard. Rom. Antiq. lib. 2. cap. 5. p. 70.

modò etiam, ut obfervat Nardinus, vias, & Urbis *Regiones*, & partes, ex infignioribus Ecclefiis, Palatiis, aut Familiis, ex. gr. Barberinorum, Farnefiorum, & Burghefiorum nominamus; ità & veteres Urbis partes, vel vias adnotare confueverunt: quapropter cùm apud Victorem, & Rufum legere contigerit: [Domus Q. Laterani, Domus Q. Catuli, Domus Vectiliana, Templum Pacis]; his, & fimilibus dictionibus non tantùm quæ recenfent ædificia, fed infuper vias, & Urbis partes fignificare in animo habuiffe, cenfendum eft.

Ruf. & Vict. de Reg. Urb.

Immò notandum, quod licèt vel delubra, vel ædificia, aut Familiæ, quæ nomen viæ, vel *Regioni* Urbis præftiterant, deperiiffent, nomen tamen inditum perfeveravit, ut de Pifcinà Publicà teftatur Feftus his verbis: [*Pifcina Publicæ* hodiè que nomen manet, ipfa non extat]; & de Horreis Sempronii loquens idem confirmat: [*Sempronia Horrea*, dicens, qui locus dicitur, in eo fuerunt lege Gracchi ad cuftodiam frumenti publici].

Sext. Pomp. Feft. de verb. fignif. lib. 14.

Idem lib. 17.

CA-

CAPUT IX.

Ex Suburranà Tribu *egressos aliis Urbis locis* Suburræ *nomen tribuisse probabiliter demonstratur.*

CUm igitur à *Regionibus* nomen *Tribubus* impertitum fuerit, & vicissìm à *Tribubus*, vel ab hominibus, & familiis ex eis egressis nomen *Regionibus* attributum, hinc profectò modus, quo tot in Urbe *Suburræ* fuerint, haud obscurè deprehenditur. Non enim unius *Tribus* homines certis *Regionis* ejsdem præscriptæ limitibus, ut Tullius voluit, sese continuerunt; nàm Tullii præscriptum immobiliter semper stetisse haud repe- rimus; immò cùm ex *Tribubus* Militiæ, ut diximus, extraherentur, has in *Regione* tantùm, ad quam *Tribus* spectabat, semper permansisse, haud verisimile videri potest. Toties obsessà, & vastatà à Barbaris Urbe, permisceri quoque *Tribus*, & è propriæ *Regionis* finibus aliò transmigrare coactæ fuerunt: quomodò igitur imperterritos mansisse homines in *Regione* sibi præscriptà dicendum est, si ad exteras quoque plagas, relictà patrià domo, & Urbe, perrexisse comperimus? Cùm enim à Gothis Urbs capta fuit sub anno 410., dispersi Cives, turbatis omnibus, non tantùm in Urbe, sed extrà quoque profugi propriæ incolumitati consuluere; ut

Vide suprà Dionys. Halicar.

ut Eminentiffimus Baronius refert his verbis:

Baron. Annal. tomo 5. anno 410. ,, [At quod ad profugos fpectat ab Urbe recedentes, Romani diverfa loca adiere. In Orientem enim alii (ut vidimus) abeuntes, Hierofolymam petiere; alii verò ad proxima loca, nempè in Infulas Tyrrheni pelagi confugere. Nàm Rutilius hæc de Igilii Infulà:

Rutil. Itiner. lib. 1.

[*Eminus Igilii filvofa cacumina miror,*
Quam fraudare nefas laudis bonore fuæ.
Hæc proprios nuper tutata eft Infula faltus,
Sive loci ingenio, feu Domini genio.
Gurgite cum modico victricibus obftitit armis
Tamquam longinquo diffociata mari.
Hæc multos lacerà fufcepit ab Urbe fugatos,
Hic feffis pofito certa timore falus.
Plurima terreno populaverat æquora bello
Contra naturam claffe timendus eques.
Unum, mira fides, vario difcrimine portum
Tam propè Romanis, tam procul effe Getis].

,, Hæc ipfe. Porrò ficut complures Romanorum in Igilium Infulam adiere, ità etiam alios ipforum in alias ejusdem Ponti Infulas tunc navigio tranfmigraffe quis dubitat? Sed & alii trans mare etiam in Africam confugerunt, &c.]

Sic Baronius, ex quo ritè infertur, haud fubfiftere potuiffe in fibi affignatis *Regionibus* Urbis *Tribus*, & *Tribuum* homines, cùm temporis decurfu toties Urbs ipfa everfa, & Barbarorum fævitià exagitata, non modò Cives in præfcriptis *Regio-*

nibus

nibus continere non valuerit, quinimò ad exteras quoque oras profugos expulerit. Uti enim à Gothis, ità postmodùm à Longobardis, & Hunnis eandem vim passa, & pari feritate dilacerata in suo primævo ordine minimè permanere potuit, sed confusis omnibus, omnia etiam simùl permixta sunt, ità ut quid antiquitùs fuerit, vix reperiatur.

Verùm, præ cæteris ejusdem partibus, efferatos hostes crudelissimà immanitate sæviisse in eam, quæ nobilior erat, *Suburræ* scilicet partem, Scriptorum monumenta cuncta testantur; ex odio siquidem Romani nominis, ut ei potissimùm parti detraherent, in qua Romanæ gloriæ decus singulariter enitesceret, totis viribus incubuerunt. Sed quid mirum, hostes, & Barbaros eò crudelitatis, & sceleris pervenisse, cùm ab ipsis amicis eadem perpeti coacta Urbs fuerit? Hoc refert laudatus Baronius sub anno 1084. his verbis:

„ [De tempore autem Roberti adventus, hæc Berthol- *Baron. Annal. an 1084.*
„ Bertholdus: [Robertus Guiscardus Dux North-
„ mannorum in servitium S. Petri post kal. Maii
„ Romam armatà manu invasit, fugatoque Hen-
„ rico, totam Urbem Gregorio Papæ rebellem
„ penitùs expoliavit, & majorem ejus partem igni
„ consumpsit, eo quod Romani quendam ejus mi-
„ litem vulneraverunt. Deindè acceptis obsidibus
„ à Romanis, & in Castello Sancti Angeli, quod
„ Domum Theodorici dicunt, reservatis, ipse ad
„ recuperandam Terram Sancti Petri reversurus, in
brevi

„ brevi plurima Castella, & Civitates Dño Papæ „ recuperavit. Henricus autem Roberto resistere „ non valens, ad partes Theutonicorum satis festi- „ nanter revertitur]. Hæc Bertholdus. At verò „ Leo Ostiensis aliam affert causam Urbis incendii, „ planè diversam ab eà, quam ille posuit, aitque „ liberandi causà Gregorii obsessi id facere per- „ suasum; sed ipsum audi Leonem.

Leo Ostiens. Chron. lib. 3. cap. 52.

„ [Anno sequenti Henricus Imperator Romam „ cum exercitu venit, & supradictum Papam Gre- „ gorium, qui in Arcem S. Angeli se contulerat, „ variis bellicis machinis modis omnibus oppu- „ gnare cœpit. Hoc ubi Roberto Duci, qui eà „ tempestate Constantinopolitanum Imperatorem „ oppugnabat, nunciatum est: Boemundo filio in „ ipsà expeditione derelicto, Italiam ocius repetit, „ atque ingenti coacto exercitu ad Pontificis libe- „ rationem adversùs Imperatorem ire disponit. „ Quod postquàm Desiderius comperit, Romàm „ nuncium dirigit, qui & Papæ proximam eruptio- „ nem, & Imperatori Ducis nunciaret adventum. „ Tunc Urbe egressus Imperator, quia sine mili- „ tum Præsidio erat, Castellanum Oppidum, di- „ ctum antiquitùs Vejos, subjit. Robertus autem „ Dux Romam cum exercitu noctu ingressus, dùm „ ad Ecclesiam SS. Quatuor Coronatorum adve- „ nisset, ex consilio Cincii Romanorum Consulis, „ ignem Urbi injecit. Romani igitur rei novitate „ perculsi, dùm extinguendo igni toti incumbe-
rent,

„ berent, Dux ad Arcem Sancti Angeli continuò
„ properans, atque indè Pontificem abstrahens,
„ Romà sine morà egreditur, & Gregorium Pa-
„ pam ad nostrum deducit Monasterium, &c.]
Hæc Baronius.

Si igitur, ut ex his educitur, tali, ac tanto exitio ab ipsis Amicis, qui nempè auxilio Gregorio VII. venerant, hæc Urbis pars vastata est: quænàm ab inimicis anteà non passam fuisse censendum erit? In tantà iccircò rerum omnium eversione, *Suburranam Tribum* propriæ *Regioni* semper immobiliter adhæsisse, quis credet? Et si infortunio huic subjectæ cæteræ *Tribus*, è propriis *Regionibus* deturbatæ, simùl commisceri coactæ sunt, quid existimandum erit de *Suburranà*, quæ omninò è proprià *Regione* penitùs demolità, eliminata, & expulsa inter alias *Tribus* aliis in *Regionibus* ad confugium sibi quærendum adacta fuit? Et proindè quid mirum, quod in varias Urbis *Regiones* distracta, earundem nonnullis locis suam tribuerit nomenclaturam?

CAPUT X.

Alia Argumenta ex quibus educitur, cur præter Suburræ Regionem, *idem* Suburræ *nomen aliis locis inditum fuerit.*

SI tamen haud veriſimile judicaretur, à *Suburranà Tribu*, *Regionis* ſuæ finibus egreſsâ, aliis Urbis locis nomen inditum fuiſſe, omnem procul dubio dubitationem illud auferre poſſet, quod non tantùm viæ, vel Urbis peculiaria loca à familiis nomen ſibi aſſumpſerunt, ſed etiam, quod *Tribubus* ipſis à familiis nomen datum fuerit. Ruſticæ ſiquidem *Tribus* ab ipſis plerunque nomen acceperunt, cùm tamen Urbanis apud Romanos præponerentur, ut adnotavit Dempſterius his verbis: [Poſterioribus temporibus hoc diſcri„ men inter Urbanas, & Ruſticas *Tribus* fuit, ut „ Ruſticæ Urbanis longè præferrentur, & ità opti„ mus, & præſtantiſſimus quisque in Ruſticis *Tri*„ *bubus*, relictis Urbanis, cenſeri vellet, ac tùm „ *Tribus* non Urbis, ſed Civitatis partes habe„ rentur. Cujus mutationis cauſas duas fuiſſe Sigo„ nius refert: vitæ nimirùm ruſticæ commendatio„ nem, & Cenſoriam poteſtatem, vel notationem. „ De priori ſcribit Varro lib. 2. de re ruſticâ initio: „ [Viri magni majores noſtri, non ſine causâ præ„ ponebant Ruſticos Romanos Urbanis. Ut Ruri enim,

Dempſterius Antiq Rom. lib. 6. cap. 15.

Varro de re ruſtic. lib. 2.

„ enim, qui in Villâ vivunt, ignaviores, quàm qui
„ in agro versantur in aliquo opere faciundo: sic qui
„ in Oppido sederent, quàm qui rura colerent, desi-
„ diores putabant]. Et Plinius lib. 18. cap. 3. com- *Plin. lib 18. cap. 3.*
„ mendans vitam Rusticam: [Jàm distinctio, in-
„ quit, honosque Civitatis ipsius non aliundè erat.
„ Rusticæ *Tribus* laudatissimæ eorum, qui rura ha-
„ berent: Urbanæ verò, in quas transferri ignomi-
„ niæ esset, desidiæ, & probro]. Ista Plinius apud
Dempsterium.

Octo autem fuere *Tribus*, quæ à Familiis nomina acceperunt, nempè *Horatia*, *Sergia*, *Aemilia*, *Papiria*, *Cornelia*, *Fabia*, *Menenia*, & *Claudia* [de quibus (inquit Paullus Manutius) quid meæ *Apud eund. Dempst. ibid. ut supr.*
„ sententiæ sit, ostendam. Nomina Familiarum *Paull. Manut. de Civit. Rom. ad Cardin. Pereth. pag. 19.*
„ indita illis puto post exactos Reges; veteres ta-
„ men fuisse *Tribus*, & ex iis quindecim rusticis,
„ quas Servius Rex fecit, nunquàm dubitavi; quod
„ exemplo *Claudiæ* cognoscitur, de qua sic Livius:
„ [Ap. *Claudius* ab Regillo magnâ clientium comi-
„ tatus manu, Romam transfugit. His Civitas da-
„ ta, agerque trans Anienem, vetus *Claudia Tri-*
„ *bus*, additis posteà novis Tribulibus, qui ex eo
„ venirent agro, appellata]. Sic Manutius.

Si igitur rusticis *Tribubus* plurimis singulæ Romanorum Familiæ sua nomina præstiterunt; immò, ut observat Manutius, si quæ Regum tempore gestabant, ut Familiarum sibi ea assumerent, primæva nomina *Tribus* amplissimæ dimiserunt,

absurdum forsan censendum erit, integram *Tribum* è propriæ *Regionis* limitibus egressam aliis Urbis locis nomen impertitam, cùm unius *Tribus* familiam toti *Tribui* nomen suum indidisse, minimè diffiteri posse compertum sit? Aut Urbis loca quædam ab egressis è *Suburranà Regione Suburranæ Tribus* hominibus nomen accepisse, cùm *Tribus* ipsæ illud ab unà tantùm familià desumpserint?

At cùm legatur, Augustus in novas decem & quatuor *Regiones* Urbem divisisse, ut Suetonius his verbis fatetur: [Spatium Urbis in *Regiones* quatuordecim, Vicosque suprà mille divisit]; & Plinius confirmat, Publiusque Victor, & Sext. Rufus diligentissimè adnotarunt; hinc additum *Suburræ* nomen fuisse variis Urbis locis, alià etiam ratione excogitari meritò posset; nempè eo ferè modo, quo apud Hebreos quid simile olim etiam contigisse deprehenditur. *Tribubus* enim Israel singulis quædam quasi *Regio*, ad standum circà Tabernaculum fœderis præfixa, in Libro Numerorum sic recensetur.

Sueton. in Augusto.
Plin. lib. 30. cap. 50.
Publ. Vict., & Sext. Ruf. de Reg. Urb.

Lib. Num. cap. 2.

„ [Singuli per turmas signa, atque vexilla, &
„ domos cognationum suarum castrametabuntur
„ filii Israel, per gyrum Tabernaculi fœderis. Ad
„ Orientem *Judas* figet tentoria per turmas exer-
„ citus sui, eritque Princeps filiorum ejus Nahasson
„ filius Aminadab, & omnis de stirpe ejus summa
„ pugnantium septuagintaquatuor millia sexcenti.
„ Juxtà eum castrametati sunt de *Tribu Issachar*,

quo-

„ quorum Princeps fuit Nathanael filius Suar; & „ omnis numerus pugnatorum ejus quinquagintaquatuor millia quadringenti. In *Tribu Zabulon* „ Princeps fuit Eliab filius Helon. Omnis de stirpe „ ejus exercitus pugnatorum quinquagintaseptem „ millia quadringenti. Universi, qui in Castris „ *Judæ* annumerati sunt, fuerunt centum octogintasex millia quadringenti, & post turmas suas „ primi egredientur.

„ In Castris filiorum *Ruben* ad meridianam „ plagam erit Princeps Elisur filius Sedeur, & cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati „ sunt, quadragintasex millia quingenti. Juxtà eum „ castrametati sunt de *Tribu Simeon*, quorum Princeps fuit Salamiel filius Surisaddai, & cunctus „ exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, „ quinquagintanovem millia trecenti. In *Tribu* „ *Gad* Princeps fuit Eliasaph filius Duel, & cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati „ sunt, quadragintaquinque millia sexcenti quinquaginta. Omnes, qui recensiti sunt in Castris „ *Ruben*, centum quinquaginta millia, & mille „ quadringenti quinquaginta per turmas suas; in „ secundo loco proficiscentur. Levabitur autem „ Tabernaculum testimonii per officia Levitarum, „ & turmas eorum. Quomodò erigetur, ità & deponetur. Singuli per loca, & ordines suos proficiscentur.

„ Ad Occidentalem plagam erunt Castra filiorum

„ rum *Ephraim*, quorum Princeps fuit Elifama
„ filius Ammiud; cunctus exercitus pugnatorum
„ ejus, qui numerati funt, quadraginta millia quin-
„ genti. Et cùm eis *Tribus filiorum Manaffe*,
„ quorum Princeps fuit Gamaliel filius Phadaffur,
„ cunctusque exercitus pugnatorum ejus, qui nu-
„ merati funt, trigintaduo millia ducenti. In *Tri-
„ bu filiorum Beniamin* Princeps fuit Abidan fi-
„ lius Gedeonis; & cunctus exercitus pugnatorum
„ ejus, qui recenfiti funt, trigintaquinque millia
„ quadringenti. Omnes, qui numerati funt in
„ Caftris *Ephraim* centumocto millia centum per
„ turmas fuas: tertii proficifcentur.
„ Ad Aquilonis partem caftrametati funt filii
„ *Dan*, quorum Princeps fuit Ahìezer filius Am-
„ mifaddai; cunctus exercitus pugnatorum ejus,
„ qui numerati funt, fexagintaduo millia feptin-
„ genti. Juxtà eum fixere tentoria de *Tribu Afer*,
„ quorum Princeps fuit Phegiel filius Ochran;
„ cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui nume-
„ rati funt, quadraginta millia & mille quingenti.
„ De *Tribu filiorum Nephthali* Princeps fuit Ahi-
„ ra filius Enan; cunctus exercitus pugnatorum
„ ejus, quinquaginta tria millia quadringenti.
„ Omnes, qui numerati funt in Caftris *Dan*,
„ fuerunt centum quinquagintafeptem millia fex-
„ centi; & noviffimi proficifcentur].

Hæc caftrametationis forma ex Moyfis præ-
fcripto duodecim *Tribuum* Ifrael circà Domini Ta-
ber-

bernaculum, cujus primum atrium quadratum Levitarum circuibat, cùm nimirum Moyses, & Aaron ad Orientem extarent; & ad ingressum atrii Gersonitæ ad Occidentem, ad Aquilonem Meraritæ, Caathitæ ad meridiem statuti essent. Secundum verò quadratum ex duodecim *Tribubus* constaret, ità ut ad quodque latus quadrati interioris, seu primi, vel ad quamlibet Mundi plagam dispositæ essent tres *Tribus*, ac consequenter duodecim *Tribus* ità collocatæ, ut quatuor terniones, sive acies efficerent.

Sed quod notandum est; licèt singulæ *Tribus* singulari loco apud Tabernaculum fœderis potirentur, & unaquæque peculiari suo situ gauderet; nihilominùs in quolibet ternione prima erat semper *Tribus* aliqua insignior, quæ cæteris præibat, eratque quasi Archiducalis, ut scilicet hac ratione quatuor *Tribus* insigniores, quasi Archiduces munirent quatuor cornua, & latera exercitus, undè ab ipsis cæteræ *Tribus*, & Castra omnia denominarentur, ità ut vexillum ***Ruben*** v. gr. indicaret, & denominaret omnia Castra ad Meridiem sita, quia nempè ***Ruben*** senior erat ***Simeone***, & ***Gad*** asseclis suis ad Meridiem, & sic de cæteris; quapropter enumerato exercitu ***Gad***, ***Simeonis***, & ***Ruben***, tandem sermo divinus, ut omnem Meridiani ternionis numerum complectatur uno verbo, dicit: [Omnes, *Ut supra.*
„ qui recensiti sunt in Castris ***Ruben***, centumquin-
„ quaginta millia & mille quadringenti quinqua-
ginta

„ ginta per turmas suas: in secundo loco profici-
„ scentur], prætermissis nimirùm *Gad*, & *Simeonis* nominibus, quamvis ipsorum *Tribubus* in *Ruben* ejusdem ternione omninò comprehensis.

Quid simile excogitari jure optimo potest de Romanis *Regionibus* simùl, ac *Tribubus*, inter quas quatuor primæ, juxtà Varronem, fuere, *Suburrana*, *Exquilina*, *Collina*, & *Palatina*, quæ velut cæterarum Archiduces extitere; quia nimirum, juxtà Dionysium, cùm septem colles uno muro complexus est Tullus, in ipsas quatuor Urbem totam divisit. Quamvis enim in plurimas *Regiones* alias, ut diximus, Urbs vel ab Augusto, vel ab aliis dispertita postmodùm fuerit; tamen inverisimile est, recentiores istas priorum quatuor nomen penitùs ablegasse, sed potiùs censendum est, sæpè sæpiùs earundem quædam loca, Principum *Regionum* saltèm nomina retinuisse, quibus passìm nuncuparentur, & meritò; non enim jus omne, in cæteris *Regionibus* postmodùm ex eis egressis aliarum Archiduces perdiderunt, quin potiùs (ut apud Hebreos) ex ipsis aliæ vocari debuerint; & hinc tam diffusum *Suburræ* nomen in Urbe ex parte etiam arbitramur. Sicut enim silentio prætermissæ deprehenduntur minores *Tribus*, nempè octo filiorum Israel, & quatuor tantùm recensitæ, sub quibus octo illæ numerabantur; ità non rarò notatas credimus sub quatuor Principum *Regionum* Urbis nomine *Regiones* alias, vel earum loca, quia nempè,

Varro de lingu. latin. lib. 4.

Dionys. ut supra.

nempè; primæ saltèm institutionis jure, sub ipsis comprehendebantur, ut ex. gr. eæ *Isidis*, & *Serapidis*, vel *Alta Semita* sub *Suburranà*, & sic de singulis; nàm reverà Victor, & Festus *Suburræ* caput non alibi, quàm in *Isidis*, & *Serapidis Regione* fuisse asserunt. Et eo pari modo, quo universus Orbis in quatuor partes dividitur, & sub unaquaque illarum plures Provinciæ, & Regna comprehenduntur, quæ licèt proprium nomen gestent, tamen potiuntur etiam nomine illius Partis, sub qua continentur, adeòut Italia, quæ Europæ pars, Europæ nomine vocari non dedignetur; ità etiam absurdum non est, duplici nomine vocata reperiri Urbis loca, & proprio videlicet, & eo Principis *Regionis*, uti fuit *Suburrana*.

CAPUT XI.

Variis Scriptorum de Suburrà *opinationibus respondetur*.

CUm igitur Scriptores, quale inter *Suburræ* locum, *Suburram Regionem*, & *Suburram Tribum*, & insuper inter *Regionem* Principem, & alias discrimen fuerit, non animadverterint; hinc multiplicibus sententjis inter se pugnantibus mutuò diuturna prælia iniere, ex quibus tamen partà victorià aliquem discessisse vix asseri potest; nec nos quidem tanto certamini finem imposuisse plectendà temeritate præsumimus, licèt facilè di-

luenda eorummet argumenta arbitremur ex iis ipsis, quæ proposuimus, absque eo quod ad singulare certamen eorum quemlibet vocare cogamur.

Luc. Faun. de antiq. Urb. lib. 4. cap. 7.

Lucii enim Fauni sententia, qua ***Suburram*** ad ***Carinarum*** radices eà parte, quæ Quirinalem Vallem spectabat, statuit, & à Foro vel Romano, vel Nervæ cœptam ad clivum ***Suburranum***, videlicèt ad Viæ Tiburtinæ principium deduxit, vel ab initio ***Labicanæ Viæ*** suprà Colosseum, usque ad Divæ Luciæ in Orpheà Templum pertraxit; facilè evertitur, si perpendatur longè nimis à Quirinali extitisse ***Carinas***, nec amplissimam Exquiliarum partem, uti est à Foro Romano, vel Nervæ, usque ad initium Viæ Tiburtinæ, & D. Luciæ in Orpheà Templum, occupare potuisse.

Barth. Marlian. in Topograph. Urb. cap. 17.

Pari modo Bartholomæi Marliani opinio refellitur; putavit siquidem ***Suburram*** principium habuisse à Foro Romano, & rectà veniendo per Forum Nervæ ad clivum ***Suburranum***, undè initium Viæ Prænestinæ est, desiisse; vel è Regione Tabernolæ supra Colosseum, ubi caput ***Viæ Labicanæ***, inchoasse, & per Exquiliarum radices, usque ad ædem Sanctæ Luciæ in Orpheà pervenisse. Nàm cùm nullo antiquorum testimonio innixus affirmet, ***Suburram*** à Foro Romano incœpisse, & ad initium Viæ Prænestinæ devenisse; ruit procul dubio quidquid excogitavit; & aliud insuper, quod à Regione Tabernolæ supra Colosseum initium habuerit, & per Exquiliarum radices, ad ædem usque Sanctæ Luciæ in

in Orpheà ſe extenderit; nàm licèt Ceriolenſis, juxtà Varronem, in Tabernolà eſſet, & *Suburra* ibidem *Carinis* juncta fuiſſet, nullo tamen pacto per maximam Exquiliarum partem ſuprà *Carinas* eaſdem ſe protraxiſſe usque ad S. Luciam cenſendum eſt; ſic enim non ſub *muro terreo Carinarum Suburra*, ſed ſuprà extitiſſet, & multò minùs ſub antiquà Urbe, ab ipsà tam longè diſtante, recenſeri potuiſſet.

Varro de lingua latin. lib. 4.

Honuphrii Panvinii ſententia ex dictis, & à quamplurimis Scriptoribus ſatis exploditur.

Panvin. ut ſupra.

Joannes Roſinus, & Thomas Dempſterius abundè refelluntur ex eo, quod *Suburræ* loci, aut *Regionis* ethymon *Tribui Suburranæ* aptaverunt, quid *Regio*, quid locus, quidvè *Tribus* fuerit *Suburrana*, non ſeriò, & ſatìs expendentes; quod nimirum feciſſe Paullus Manutius cognoſcitur, dùm à *Regione Tribum* dictam fuiſſe haud obſcurè ſignificavit.

Roſinus ut ſupra. Dempſterius ut ſupra.

Manut. ut ſuprà.

Morerus verò omninò deceptus deprchenditur, cùm eandem fuiſſe antiquam *Suburram*, ac eam, quæ modò etiam *Suburra* vocatur in Regione Montium, excogitaverit; quam nempè ſententiam cùm Millinus tueri conatus ſit ex eo, quod Sext. Rufus *Suburram* ponit in Secundâ Cœlimontanà Regione, & Publ. Victor in Regione Tertià *Caput Suburræ*, in qua Lupariæ; æquè ac ille in errorem lapſus convincitur, cùm ampliſſima, ut oſtendimus, *Suburrana Regio*, in parte aliquà illius Tertiæ

Morerus ut ſupra.

Millinus ut ſupra.

Regionis, quæ longè poſt eam fuit, nomen ſuum retinere potuerit, vel ex aliis ſuprà deductis rationibus.

Apud Ciampin. Veter. Monument. c.28. p.251. Quod autem aſſerit Joannes Annius, *Suburram* nempè in Vico Thuſco cœpiſſe à Palatino colle, & protenſam usque ad murum Fori Venalium circà Tiberim, & ad Forum Piſcarium, de *Suburræ Regione*, vel loco haud accipi poſſe quisque videt.

Ibid. Blondus, & Donatus, qui exiſtimarunt, monticulum, ubi ſitum eſt Monaſterium S. Laurentii in Pane, & Perna, ac totam illam viam, quæ incipit à S. Lucià in Silice, & porrigitur usque ad S. Hadrianum in Foro Boario, *Suburram* comprehendiſſe; ſatis ſuperque à Nardino rejiciuntur.

Ibid. Pomponius Lætus, & Andreas Fulvius, cùm *Suburræ* principium ponunt ad Titi Amphitheatrum, à veritate non diſceſſiſſe noſcuntur; cùm verò longo ambitu productam eam volunt usque ad ædem Sanctæ Luciæ in Orpheà, omninò cum Raphaele Volaterrano, & recentioribus aliis erroris arguuntur.

Ibid. Aloyſius Contarenus, qui *Suburræ* plateam collocavit inter Quirinalem, & Viminalem, penitùs à veterum firmiſſimis auctoritatibus receſſit.

Ibid. Pyrrhi Ligorii opinio, qua aſſeruit, juxtà Panvinium, non in Exquiliis, ſed in illà fuiſſe valle *Suburram*, quæ eſt inter Cœlium, & Palatinum, pluribus validè reprobatur à Martinello, qui nempè ab antiquà novam Urbem diſtinguit: in antiquà ſiqui-

ſiquidem Urbe, in cujus Pomerio Palatinus, & Capitolinus colles includebantur, *Suburram* fuiſſe viam ſub antiquà Urbe extrà Pomerium in eà valle, ubi nunc eſt Amphitheatrum Titi, concedit; ſi verò loquamur de auctà Urbe, *Suburræ* limites extendit usque ad Forum Piſcarium, & finem Vici Thuſci, ubi Janus Quadriformis, & imum Argiletum, nunc Pons quatuor capitum, & via illa, quæ ducit ad Sanctam Mariam Ægyptiacam; immò productam etiam ad Forum Nervæ, indè per planitiem inter Viminalem, Quirinalem, & Exquilinum colles ad S. Luciam in Silice exiſtimat. Sed cùm hæc nullo prorsùs Antiquorum indicio fultùs proferat, vel leviſſimis ſaltèm conjecturis permotus id aſſerat, pro nihilo certè habenda eſt ipſius opinatio.

Nardini, præ cæteris omnibus, tamen ſententia comprobanda occurrit, qui *Suburram* extitiſſe inter Eccleſiam SS. Marcellini, & Petri, & Amphitheatrum Titi, hodiè Coloſſeum, pluribus, quæ ex ipſo ſuprà retulimus, oſtendit, validiſſimisque rationibus cæterorum opinationes redarguit. Verùm contrà ipſum non levis ponderis ſunt argumenta Donati (inquit Monfaucon) præcipuè deſumpta ab Eccleſià S. Agathæ in *Suburrà* à D. Gregorio memoratà, quibus nimirùm, validioribus rationibus Nardinus non reſpondiſſe cognoſcitur.

Nardin. Rom. Antiq. lib. 3. cap. 6.

Monfauc. in Diar. Italic. cap. 9. p. 131. & ſeq.

Nihilominùs cùm omnibus præferendam Nardini ſententiam anteà pronunciaverimus, ideò ex ſuprà allatà noſtrà ſententià quid minimùm ad ipſiusmet

siusmet Donati confutationem adnectere non dubitavimus. Censuimus igitur *Suburræ* nomen pluribus in locis in Urbe diffusum, non ex *Regione*, aut loco in eàdem constituto, sic dicto; sed ex *Tribu Suburranà*, vel ex Familiis, & hominibus ex eàdem egressis, & sparsìm Urbem ipsam incolentibus. Ex his autem nomen Ecclesiæ S. Agathæ in *Suburrà* cùm Nardino impositum fuisse arbitramur, eo quòd nimirùm populi mutatis sedibus à *Suburrà* illà antiquà in alteras Urbis partes, & præcipuè in eam, ubi eadem Ecclesia invisitur, proficiscentes *Suburræ* nomen ipsi tribuerint.

Et quamvis respuamus, quod ipsemet Nardinus excogitavit, nempè hodiernam Sanctæ Agathæ Ecclesiam in *Suburrà* eandem non esse, quæ à Divo Gregorio memoratur, cùm (ut observat Monfaucon) nullo solido fundamento notitiæ hujus testimonium refellat; tamen statuimus, Ecclesiam ipsam in *Suburrà Regione* immeritò locari, sed tantùm sic dictam opinamur ab hominibus, vel ab aliquà *Suburranæ Tribus* Familià, in cujus ædibus eadem Ecclesia constructa fuerit, vel quæ eandem Ecclesiam construi fecerit. Nec obstat, quod tunc dicenda non foret in *Suburrà*, sed potiùs de *Suburrà*; nàm morem hunc Ecclesias sic antiquitùs nuncupandi inolevisse, comperimus ex insigni Basilicà Lateranensi; hæc enim utpotè educta ex Lateranorum Palatio, *de Laterano* potiùs vocanda videbatur; & tamen cùm *in Laterano* dicta semper recenseatur, pro-

profectò ostendit, in pari casu Ecclesiam S. Agathæ *in Suburrà* non ideò fuisse in verà *Suburrà*, quòd sic appellata fuerit; sed sic vocatam extitisse ex nomine alicujus Familiæ *Tribus Suburranæ*, quæ eandem fortè propriis in ædibus extrui jussit, vel quòd ab aliis ex ipsiusmet ædibus educta fuerit. Cujus rei etiam illud indicium est, quòd singularis in eodem loco invisitur Ecclesia *in Suburrà* appellata, absque eo quòd locus idem *Suburræ* præferat nomen, immò non parum à situ, qui hodiè *Suburra* vocatur, disiectus sit. Undè etiam quod posteà excogitavit idem eruditissimus Monfaucon, nempè Urbis partem, quæ *Suburra* hodiè dicitur, hoc nomen sortitam, quia aliqua antiquæ *Suburræ* via in hodiernam deducta nomen hujusmodi augmento attribuerit; cùm nullo testimonio fulciatur, procul dubio ruit; sicut insuper quod dixit, *Suburram* inter Exquilinum, & Cœlium sitam etiam clivos complexam fuisse; nàm sicut nunquàm inveniuntur Exquiliarum clivi pro confinibus *Suburræ* ab Antiquis præfixi, ità absurdissimum fuit existimasse, *Suburræ* ipsi, & nomen vallis convenire, & ut vallem, clivos tot complecti potuisse, posthabitis videlicèt *Carinis*, sub quarum *terreo muro Suburram* stetisse nemo diffitetur.

Ciampinii verò levissimæ conjecturæ, quibus tot, tantasque *Suburras* constituit, spontè sua ex se ipsis evertuntur: si enim quidquid sub *muro terreo* erat, *Suburra* fuisset, ad quid singulari eo nomine

nomine Urbis *Regio* prænotabatur? Neque autem tradidit Varro, *Suburram* tantùm fic nuncupatam, eo quòd effet fub *muro terreo*, fed quia fub *muro terreo Carinarum* exifteret. Præter enim multiplicia loca, quæ Ciampinius ipfe, & alii recenfent, quibus *Suburræ* vocabulum tributum fuit, reperimus etiam Diaconiam Sancti Theodori, quæ fub Palatino extat, dictam *in Suburrà*, & Albertus Theodolus Forolivienfis ab Honorio Papa II. Diaconus Cardinalis Sancti Theodori *in Suburrà* anno Domini 1124. renunciatus fuit; fed quid indè? Ex hoc forfitàn eliciendum erit, ideò dictam *in Suburrà* S. Theodori Diaconiam, quòd fub *muro terreo* Palatini effet? At cùm omnem murum terreum *ad Carinas* pertinuiffe nemo afferere poffit, & *Suburra* fub *muro terreo Carinarum* tantùm exifteret, alia procul dubio à conjecturis Ciampinii ratio excogitanda eft, quòd Ecclefia hæc, aliaque Urbis loca *in Suburrà* vocata fuerint, ex hoc videlicèt, quia è *Regione*, vel *Tribu Suburranà* Familiæ, & homines illùc traducti, fuum locis iisdem nomen indiderint.

Ciaccon. in Honorio II. to. 1. p.968. anno 1124.

Cæteras autem opinationes, quas Scriptores ediderunt in arcto pofiti, cùm nec antiquam *Suburram* negare poffent, nec novæ originem patefacere valerent, datà operà prætermittimus, cùm ex his, quæ propofuimus, omnem prorsùs auferri dubitationem arbitremur.

CA-

CAPUT XII.

SS. MARCELLINI, & PETRI *Ecclesia* in Suburrà, in Viâ Lavicanâ, in Merulanâ, in Regione Montium, & apud Lateranum *ritè dicta ostenditur.*

Suburræ autem locus illustrissimis habitatoribus, æquè ac *Carinæ*, decoratus fuit; nàm teste Suetonio ibidem primò Cæsar habitavit modicis ædibus, ibidemque Stella Consul domum habuit, ut Martialis fatetur his verbis: *Sueton. in Cæsar.*

Vel si malueris, primà gradiere Suburrà, *Mart.l.12. epigr.3.*
Atria sunt illic Consulis alta mei.

Idemque Poeta clamosam eam nuncupat, ferventemque Juvenalis propter populi frequentiam, quòd ibi rerum venum expositarum mercatus esset; undè idem Martialis alibi cecinit: *Juvenal. satyr.11. vers. 50.*

Quidquid Villicus umber, aut Colonus, *Mart.lib.7. epigr.30.*
Aut Thusci tibi, Tusculivè mittunt,
Aut Rus marmore tertio notatum,
Id totà mihi nascitur Suburrà.

Et alio loco:

Hæc igitur medià, quæ sunt mihi nata Suburrà, *Idem lib.10. epigr.94.*
Mittimus Autumni cerea poma mei.

Ex quibus omnibus elicitur, & populi frequentià, & habitatorum nobilitate *Suburram* inter Urbis partes, & loca jure primatum obtinuisse. At cùm

Y totam

totam planitiem, seu vallem, quæ inter *Carinas* primùm, & Palatinum ad Colosseum, vel circiter, & postmodùm inter *Carinas* ipsas, & Cœlium, *Suburram* fuisse pluribus demonstratum sit; dùm in ipsà planitie, seu valle, immò ubi ipsa concluditur, Sanctorum Martyrum MARCELLINI, & PETRI Ecclesia invisitur, profectò sequitur, ritè à Scriptoribus eandem *in Suburrà* constitutam fuisse.

Meritò etiam *in Vià Lavicanà* locatam asseri, ejusdem Viæ tractus significat: cùm enim à Foro Romano hæc incipiat, ut suprà ostendimus, & inter Cœlium, & Exquilias, vel meliùs inter *Carinas*, & Cœlium producta, ad Portam Prænestinam, modò Majorem se extendat, & hinc ad Labicorum Oppidum, hodiè *Valmontone* perveniat; dùm Sanctorum MARCELLINI, & PETRI Ecclesia inter *Carinas*, & Cœlium juxtà ipsam posita cernitur, jure merito *in Vià Lavicanà* extare pronunciatur.

Sever. de sept Urb. Eccles. in Eccles. S. Laurentii pag. 639.

Martinell. Roma Sacra pag. 286. Oct. Pancir. pag. 144., & alii.

In Regione Montium quoque ritè existere dicitur. Nec incongruè in gestis Nicolai I. *in Erulana*, corrupto nempè vocabulo *Merulana*, collocatur; nàm vel hoc inditum fuerit nomen toti Exquiliarum planitiei, quæ respicit Lateranensem Basilicam, à Marii Trophæis, ut Lucius Faunus, & Bartholomæus Marlianus putavere; vel à domo quadam, eodem in loco constitutà, *Merulana* dictà, ut Millinus, & Donatus, Divi Gregorii cuidam auctoritati subnixi excogitarunt; certum est, hanc nostram Ecclesiam, utì non distantem ab eà S. Matthæi

Luc. Faun. lib. 4. cap. 3. Marlianus lib. 5. cap. 15. Millin. in MS. apud R. P. D Severol. Donat. de Urbe Rom. cap. 10. lib. 3. pag 239. D. Gregor. epistol. lib. 2. epist. 53.

thæi *in Merulanà*, ità pariter à loco, *Merulana* dicto, haud longè abesse potuisse.

Tandem hanc SS. MARCELLINI, & PETRI Ecclesiam ab Anastasio, addito *juxtà Lateranis* optimè designari, & Lateranensium ædium vicinitas, & mos, qui ipsam sic nuncupandi usque in præsens inolevit, abundè satis comprobant, & confirmant.

CAPUT XIII.

Quænam fuerint ædificia in loco, ubi nunc Ecclesia SS. MARCELLINI, *&* PETRI *invisitur, & an ibi* Quietis *Templum.*

QUænam verò ædificia antiquitùs constiterint, ubi modò est SS. MARCELLINI, & PETRI Ecclesia, haud facilè deprehenditur.

Lucius Faunus, & alii eodem loco fuisse *Quietis Fanum* arbitrati sunt: [In *Vià Lavicanà* „ (ait Faunus), quæ ab Exquiliis Cœlium divi- „ dit, *Quietis* fuit aliquando *Fanum*; atque eà „ quidem parte, ubi est Divi PETRI, ac MARCEL- „ LINI Templum è regione ferè Divi Joannis La- „ terani]. At hæc opinio omninò fabulosa esse, cognoscitur; licèt enim ex Livio hæc habeantur: [Cùm hæc agerentur, jàm Consul *Vià Lavicanà* ad *Fanum Quietis* erat]; quod videlicet

Luc. Faun. de antiq. Urbis Rom. l. 3. c. 16. pag. 85.

Tit. Liv. hist. lib. 4. p. 259.

 in

in Vià Lavicanà effet *Quietis Fanum*; non tamen ex hoc benè infertur idem fuiffe *in Vià Lavicanà intrà Urbem*, immò oppofitum ex his, quæ ftatìm adjungit: [Eò miffa plauftra, jumentaque alia ab „ Urbe, exercitum affectum prælio, ac vià nocturnà „ nà excepere; paulò poft *in Urbem* eft ingreffus „ Conful]; ex quibus evidentiffimè patet, *Quietis Templum* in Urbe haud extitiffe.

Idem ibid.

Extrà Urbem autem cur falfò Numini Templum Romani dicaffent, docet Divus Auguftinus poft relatos multos, quos Ethnici colebant, Deos, his verbis: [His omnibus Diis, & Deabus publica „ facra facere fufceperunt. *Quietem* verò appel- „ lantes, quæ faceret *Quietem*, cùm ædem haberet „ extrà Portam Collinam, publicè illam fufcipere „ noluerunt. Utrùm indicium fuerit animi inquie- „ ti, an potiùs fignificatum eft, quod qui illam tur- „ bam colere perfeveraret, non planè Deorum, fed „ Dæmoniorum, cum Quietem habere non poffe, „ ad quam vocat verus Medicus, dicens: Difcite à „ me, quia mitis fum, & humilis corde, & inve- „ nietis requiem animabus veftris].

D. August. de Civit Dei lib. 4. cap. 16. pag. 143.

Matth. 11.

Non in Urbe igitur, fed extrà Urbem *Quietis Fanum* extitiffe, Auguftinus, & Livius evidentiffimè teftantur; immò cur in Urbe non fuerit, Auguftinus ipfe manifeftè declarat, licèt à Livio diffentire videatur, quod cùm ille *in Vià Lavicanà* idem Templum conftituat, ifte *extrà Portam Collinam* illud ftatuat. Sed id quid ad nos? quibus tantùm fcire

ſcire ſufficit, extrà Urbem *Fanum* fuiſſe conſtructum, & falsò iccircò in loco, ubi Eccleſia Sanctorum Marcellini, & Petri extat, fabricatum fuiſſe pronunciari?

Alias verò, præter Auguſtinum, cæteri quoque Scriptores rationes perquiſierunt, ut agnoſcerent, cur extrà Urbem Romani *Quieti Fanum* excitaverint; nàm quidam in eo differre voluerùnt quietem, & tranquillitatem, quod quies corporis eſſet, tranquillitas animi: quæ tamen differentia perpetua non eſt, nàm quies non raròtranquillitatem ipſam animi ſignificat, ut apud Divum Auguſtinum; quapropter de Alexandro ſcribit Arrianus, eum nunquàm quieviſſe, quòd gloriæ cupiditas transverſum eum rapiebat; quod idem de Romanis dici potuiſſe exiſtimant: quos enim nimia ambitio, ac Imperii proferendi cupiditas quieſcere nunquàm permitteret, eos non intrà Urbis mœnia, ſed extrà *Quieti Templum* dicare fecerit. *Arrian. lib. 7.*

Alii autem cenſent, ideò extrà Urbem *Quietis* Fanum ſtatuiſſe Romanos, quòd *Quies* ad mortuos pertineret: *Quietalis* ſiquidem ab antiquis dictus fuerat Orcus; quapropter cùm mortui extrà Urbem tumularentur, ut diximus, (exceptis Virginibus tantùm Veſtalibus, nec non Tyrannicidis, iiſque qui triumphaſſent, aut Rempubl. auxiſſent, ac qui virtutis causà ſoluti legibus eſſent; Lege de cæterò XII. Tabul. prohibente, nè quis intrà Urbem ſepeliretur), extrà Urbem quoque ſimùl cùm eiſdem mortuis extruendum *Spondan. de Cœmet. lib. 1. par. 1. cap. 14 num. 12.*

dum erat Templum Numini, quod ipsis opitularetur, cujusvè beneficia iisdem exoptarent: Romani enim mortuis suis, ut placidè quiescerent, & ut molliter jacerent, enixis votis deprecabantur, ut testatur Tibullus hoc modo:

Barnab. Brif. de form., & sol. pop. Rom. verb. libro 1. pag. 97.

Parce, per immatura tuæ precor, ossa sororis,
Si benè sub tenerà parva quiescat *humo*.

Tibull lib. 2. eleg. 7.

& in obitu Tibulli Ovidius in lamentatorià hoc ipsum confirmat, dicens:

Ossa quieta, *precor, tutà* requiescite *in urnà*,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Ovid. in lament. de obitu Tibull.

Cùm igitur mortuis nihil deprecari vivi possent, nisi ut benè, placidèque *quiescerent*; mirùm non est, juxtà eos extrà Urbem *Quietis Fanum* evexisse; quod iccircò immeritò intrà Urbis mœnia in loco, ubi hodiè Ecclesia Sanctorum Martyrum Marcellini, & Petri conspicitur, à nonnullis statuitur; nàm ibi mortui, pro quorum *quiete* preces effunderentur, esse nequiverunt.

Bern. Veron. comment. in Tibull.

CA-

CAPUT XIV.

Opiniones eductæ ex Simulacris repertis ubi nunc Ecclesia SS. MARCELLINI, *&* PETRI, *& ex veterum murorum fragmentis refelluntur. Quidvè probabiliter fuerint, proponitur.*

EX eodem loco, ubi nunc SS. Martyrum MARCELLINI, & PETRI Ecclesia extat, Sixto V. Pont. Max. regnante, effossa quoque fuisse Veneris, & Cupidinis, alteriusque Idoli simulacra, ex Flaminio Vacca colligitur, dicit enim: » [Ibidem inventum est Idolum marmoreum, statura vulgari paulò minùs, erectum, pedibus, manibusque junctis, à pedibus ad buccam serpente circumvolutum, velo subtilissimo indutum, sertum in collo gestans ex floribus malogranati: & non procul illo Venus naturali proceritate, quasi è balneo surgens, cum Cupidine vicino; ipsam coemit Cardinalis Montaltius]. Sed quid ex hoc inferri possit, minimè deprehendimus; nàm toties vastatà Urbe, & Urbis eà Regione, hæc, hisque similia simulacra sæpè sæpiùs à locis, in quibus antiquitùs locata fuerant, aliò asportata solidis conjecturis aditum omnem præcludunt. Ut enim ex hoc vanum esset educere, Cupidini, & Veneri, vel alteri cuilibet Idolo hoc in loco sacrum

Apud Monfaucon. Diar. Ital. cap. 9. pag. 139.

sacrum fuisse Fanum, nullo altero opinationem fulciente teste; ità & negare haud tutum, cùm nullum opinationi eidem oppositum testimonium consurgat. Posthabità tamen eorundem Simulacrorum ratione, utpotè quæ facilè de loco ad locum traducta, ut diximus, irrefragabilem loci hujus testem non exhibent, Vaccam iterùm audiamus, qui in historicis suis monumentis veteris cujusdam fabricæ reperta fuisse refert fragmenta sub ipsà hac Ecclesià, ex quibus elicit, eodem in loco olim *Castrum Aquæ* extitisse, quòd ibidem aquæ cogerentur, quæ posteà ad Colosseum traducebantur; dicit enim: [Sub Ec-
„ clesià SS. PETRI, & MARCELLINI compertæ sunt
„ pilæ multæ cum fornicibus subterraneis, nullà
„ fenestrà, nulloque lucis meatu, quæ ab antiquis
„ ità structæ fuerant. Æstimo fuisse *Castrum Aquæ*,
„ quia eodem loco Sixtus V. spissum murum de-
„ prehendit in quadratis Tiburtinis lapidibus fun-
„ datum, qui exindè in usum ædificiorum suorum
„ asportati sunt. Haud dubiè ductus erat aquæ ex
„ *Castro* versùs Colosseum]; verùm ex his aliquam vel levissimam conjecturam nostram eruamus.

Apud Monfaucon ut suprà.

Sanctorum MARCELLINI, & PETRI Ecclesiam, quæ modò invisitur, eodem in situ esse, ubi primò constructa legitur, nemo haud asserere poterit: inter enim circumadjacentium ædificiorum ruinas, quæ solum excrescere fecerunt, vel saltèm circà eam notabiliter immutarunt, cùm ipsa in imo posita ab aliis ædifi-

ædificiorum fragmentis penè obruta videatur; immobilem ſtetiſſe in loco, in quo antiquitùs fuit, procul dubio dicendum eſt. Cùm verò (ut infrà dicetur) antè tempora Magni Gregorii, vel circiter hæc extiterit, & viceversà poſt eundem Pontificem pluries renovata legatur, & potiſſimùm ab Anaſtaſio Bibliothecario ſub Gregorio Papa III. anno Domini 731. à novo conſtructa dicatur: licèt in eodem ſitu, millies tamen effoſſum, & excavatum ejusdem locum, ad noſtra penè usque tempora prophanæ fabricæ monumenta ſervare potuiſſe, minimè credibile cenſendum eſt.

Anaſtaſ. Bibliothecar. in Gregor. III

Ampliori autem formà, eà qua nunc conſpicitur, olìm Eccleſiam hanc ex parte ſaltèm conſurrexiſſe, rectè obſervavit Millinus, qui etiam in horto adjacente vetuſta veſtigia antiqui Apſidis multò latiora, & extenſiora eis, quæ nunc extant, ſe vidiſſe profitetur; immò Eccleſiam hodiernam non modò vetere reſtrictiorem eſſe, ſed inſuper ex tribus partibus unà diminutam animadvertit.

Bened. Millin. MS apud R. P. D. Marcellum Severolum.

Nec ſolùm Eccleſia ipſa latior, & magnificentior, quamvis non adeò productior, ut infrà dicetur, extitit, ſed novum inſuper decorem accepit à circumadjacentibus eidem additis porticibus, ut ex his, quæ in Benedicto Papa III. adnotavit Bibliothecarius, patenter elicitur, dùm refert, eundem Pontificem [porticus in circuitu ejus omnes noviter reſtauraſſe]; ex quibus omnibus inferre neceſsè eſt, & ad evehendam magnificentiorem Eccleſiæ fabricam

Anaſtaſ. Bibliothecar. in Bened. III.

eà, quæ modò extat, & ad eandem toties restaurandam, & ad ipsam demùm aliis ædificiis exornandam, altè pluries excavatum fuisse locum; undè cùm toties unà cum ædificiis eorum quoque fundamenta immutata fuisse necessariò fatendum sit, hinc optimè educitur, ea, quæ reperta fuere, murorum fragmenta non ad prophanam, sed ad Christianam potiùs fabricam æquiùs esse referenda.

Quid verò fuerint, difficilè æstimatur; nihilominùs arbitramur, antiquæ Ecclesiæ *subterraneum*, seu *subterraneam partem* potiùs fuisse. Antiquitùs enim, ut observat Durandus, & videre est in quamplurimis Urbis Ecclesiis, *Cryptæ* hæ, sive *Subterranea* passìm construebantur, ut nempè Deo vacare ibidem, præter omnem mundi tumultum, Fideles possent; quapropter Durandus ipse, dùm mysticè singulas Ecclesiæ partes singulis Fidelium ordinibus aptat, has *Cryptas* non nisi Eremitas designare considerat: [*Cryptæ*, sive *Specus subterraneæ* (dicens) „ quæ in quibusdam fiunt Ecclesiis, sunt Eremitæ, „ cultores siquidem secretioris vitæ]. Sicut igitur censendum est, antiquissimam hanc Ecclesiam fuisse, ità procul dubio fatendum, ex omni parte elaboratam extitisse, sicut olìm cæteræ ut plurimùm excitabantur Ecclesiæ, quæ nempè cùm *subterraneas Cryptas* haberent, iisdem hanc Ecclesiam caruisse immeritò pronunciatur: quod si eas obtinuit, quomodò prophanum monumentum eodem in loco servare potuit?

Durand. Ration. libro 1. cap. 1. pag. 6. num. 19.

Nec

Nec obstat, quod in ipso fornice nulla fenestra, nullusque lucis meatus repertus fuerit, nec, quod in Vineâ non longè sitâ Francisci Fabriani, ut refert doctissimus Monsaucon, deprehensi fuerint multi canales antiqui plumbei, atque lateritii, qui nempè à suprà memorato *Castro* aquam accepisse credantur: nàm in primis, ut ipsemet laudatus Monsaucon ritè adnotavit, *Castrum Aquæ* ad Colosseum deductæ haud facilè est, quòd uspiam memoratum occurrat; deindè ex eo quod in proximâ Vineâ canales plumbei, & lateritii inventi fuerint, ritè omninò inferre non potuit Vacca, quòd ex *Castro* sub Ecclesiâ SS. Marcellini, & Petri, ut supponit, constituto, canales ipsi aquam acciperent; nàm aliundè vel longè, vel proximè ex alio modò diruto *Castro* aquas sumere potuerunt.

Monsaucon ut supra.

Ut supra.

Ex eo verò, quod fornix sine ullâ fenestrâ, ulloque lucis meatu fuerit, non probatur ideò fuisse *Castrum Aquæ*, quia & modò illæ, quas vocamus, Apostolorum, vel Martyrum Confessiones, tùm antiquæ, tùm novæ ejusmodi sunt. Ita propemodùm conspicitur præcipuus Apostolorum Principum in Vaticanâ Basilicâ fornix, & sic alii; undè ex istorum prototypo in hac sententiâ eo magis sistimus, subterraneam fabricam sub Ecclesiâ SS. Marcellini, & Petri repertam, non *Castrum Aquæ*, nec aliud prophanum, sed sacram dumtaxat ejusdem Basilicæ *inferiorem partem* exhibuisse.

CAPUT XV.

A quibus potiffimùm Sanctorum Marcellini, *&* Petri Bafilicam *conftructam fuiffe credendum fit*.

SEd quid mirùm, quod minímè reperiatur, quid fuerit, ubi hodiè SS. Marcellini, & Petri *Bafilica* invifitur, fi, qui eandem Ecclefiam conftruxerit, haud comperitur? Uno quidem ore Scriptores cuncti ipfius antiquitatem pluribus commendant; at ubi Fundatoris illius nomen defideratur, omnes fimùl obmutefcunt; quapropter fi libera opinandi facultas tribuitur, dùm certi aliquid non habetur, quid fentiendum de hujus *Bafilicæ* fundatione pro modulo noftro patefacere non veremur.

Arbitramur igitur, hanc propè Lateranum *Bafilicam* non immeritò affirmari poffe fundatam ab ipfomet Conftantino, qui aliam in ipforum Martyrum Marcellini, & Petri honorem extrà Urbem *inter duas Lauros* excitavit: cùm enim iftam conftrueret, alterius fabricam revoluens animo, eorundem Martyrum *Reliquias* affumere potuit, ut eandem ipfis dicaret.

At quia de hac, quam fupponimus, *Reliquiarum* translatione monumentum nullum habemus; cùm tamen, ut mox oftendetur, fine illis *Bafilica* nequa-

nequaquam evehi poſſet; hinc operæ pretium eſt, quid *Baſilicæ*, quidvè ***Reliquiarum*** nomine, veteres intelligerent, vel breviter explanare.

Baſilica vox Græca initio ſignificavit domum amplam, & ſpatioſam, cauſarum cognitioni deſtinatam, dictamque volunt ex eo, quod Græci Judices Βασιλέω appellent, teſtante id Heſiodo, qui δωροφάγους appellat Βασιλῆας, ideſt donivoros Judices. Poſteà *Baſilicæ* in uſum negotiatorum ædificatæ fuerunt, quæ loca modò Peryſtilia, modò Burſæ vulgò dicuntur, ſuntque celebres in Emporiis. Chriſtiani autem initio naſcentis Eccleſiæ, ea loca, in quibus Martyrum *Reliquiæ*, Memoriæ, & Corpora ſervabantur, *Baſilicas* dixere.

Heſiod.

Aliud verò tunc *Baſilicæ*, aliud autem ***Templi*** nomen ſignificaſſe nonnulli putarunt; *Baſilica* ſiquidem non videtur dixiſſe relationem ad Sacrificia, ut ſacræ Ædes, & ***Templa***, quæ propriè ſoli Deo debebantur; undè apud Latinos Patres raro reperiri contigerit ***Templa Martyrum***, ſicut paſsim *Baſilicas* ***Martyrum***, ***Memorias Martyrum***, & his ſimilia; quia, ut, præ cæteris, Divus Auguſtinus docet, licèt Fideles SS. Martyres eà, qua par erat, humilitate, & cultu venerarentur; [non tamen „ (ipſius ſunt verba) eiſdem Martyribus ***Templa***, „ Sacerdotia, Sacra, & Sacrificia conſtituimus; „ quoniàm non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt „ Deus. Honoramus ſanè memorias eorum, tan„ quàm Sanctorum hominum Dei, qui uſque ad mortem

D. Aug. lib. 1. cõtr. Maxim. & lib. contr. ſer. Arrian., & lib. 22. de Civit. Dei, & cap. 1. lib. 1., & lib. 8. c. 26. ejuſdem, & lib. 20. contr. Fauſt. c. 21.

D. Hier. lib. contr. Vigil.

D. Ambroſ. epiſtol. lib. 1. epiſt. 5. ad Felicem Epiſco. Comen.

D. Auguſt. de Civit. Dei lib. 8. c. 27.

Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 3.

„ mortem ſuorum corporum pro veritate certa-
„ runt, ut innoteſceret vera Religio, falſis Reli-
„ gionibus, fictiſque convictis: quod etiam ſi qui
„ anteà ſentiebant, timendo reprimebant. Quis
„ autem audivit aliquando Fidelem ſtantem, Sa-
„ cerdotem ad Altare etiam ſuper ſanctum Corpus
„ Martyris, ad Dei honorem, cultumque conſtru-
„ ctum, dicere in precibus: Offero tibi Sacrificium
„ Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eo-
„ rum Memorias offeratur Deo, qui eos & homi-
„ nes, & Martyres fecit, & Sanctis ſuis Angelis
„ cæleſti honore ſociavit, ut eà celebritate, &
„ Deo vero de illorum victoriis gratias agamus,
„ & nos ad imitationem talium coronarum, atque
„ palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eo-
„ rum memoriæ renovatione adhortemur? Quæ-
„ cumque igitur adhibentur Religioſorum obſequia
„ in Martyrum locis, ornamenta ſunt Memoria-
„ rum, non ſacra, vel Sacrificia mortuorum, tan-
„ quàm Deorum]. Ità Auguſtinus, ex quo colligi
„ poſſe cognoſcitur, quod *Baſilica* aliud erat à *Tem-
plo*, quia nempè ſoli Deo *Templa*, *Baſilicæ* autem
Martyribus dicabantur, ad ornatum videlicet eo-
rundem Sepulcrorum, & ad commoditatem ipſorum
Reliquias viſitantium erectæ. Quod quidem com-
probari videtur ex Breviario Romano, in quo ſub
die 9. Novembris, dùm agitur de ædificiis à Magno
Conſtantino in ſuo Lateranenſi Palatio conſtructis
Brev. Rom. die 9. Nov. legitur: [Nàm & in ſuo Lateranenſi Palatio *Eccle-
ſiam*

„ *ſiam* Salvatori dedicavit, & continentem *Baſi-*
„ *licam* nomine Sancti Joannis Baptistæ condidit
„ eo loco, quo ipſe baptizatus, & à Sancto Silveſtro
„ à leprà mundatus eſt].

Nihilominùs & *Templa* vocatas quoque fuiſſe *Martyrum Baſilicas*, & *Baſilicas* dicta fuiſſe Deo dicata *Templa*, ex Titulo paſſim inſcripto in cunctis Miſſalibus, & Breviariis, & in Martyrologio Romano eandem ſolennitatem indicante, & inſuper ex ipſomet Auguſtino, Gregorio Nazianzeno, & Athanaſio colligitur. Hic ſiquidem in Epiſtolà ad ſolitariam Vitam agentes, ubi impiiſſima Euſebianorum facinora referuntur, inter alia hæc habet:

Mart. Rom. ad diem 9. Novembr.

„ [Miſſus quoque eſt Georgius militari manu.
„ Eadem ſtatim deſignata ſunt, quæ priùs: coactà
„ enim multitudine ex bubulcis, opilionibus, &
„ forenſi vulgo, unà cum protervis juvenibus, cum
„ gladiis, & fuſtibus *Templum Quirini* * invadunt,
„ alios mactant, alios &c.]; & Gregorius Nazianzenus orat. 3. adversùs Julianum tom. 1. pag. 94.

S. Athanaſ. epiſt. ad Solitariam vitam agent. p. 456.

* Vel *Cyrini*.

D. Gregor. Nazian or. 3. adversùs Julian. to. 1.

„ [Quidni autem hæc apprimè noſſet, qui Divi-
„ norum Oraculorum Lector quondam fuerat, ma-
„ gnique Sacrarii honore auctus, & ornatus, qui-
„ que Martyres *Templis*, & Fanis donabat ?

Auguſtinus verò de Civitate Dei: [Poſtremò,
„ (inquit) illud Junonis Templum ſibi elegerat
„ avaritia, & ſuperbia levium Græcorum: iſtas
„ *Chriſti Baſilicas* miſericordia, & humilitas etiam
„ immanium Barbarorum, &c.]. Ex quibus co-

D. Auguſt. de Civit. Dei lib. 1. cap. 4. tom. 5.

gno-

gnoſcitur, & *Templa Sanctis*, & *Chriſto Baſilicas* dicatas recenſeri, & priſcis etiam temporibus indiſtinctè hæc vocabula, tùm ad ſignificanda loca, Memoriis Martyrum dicata, tùm ad indicanda ea Deo ſacra, veteres adhibuiſſe.

Cùm verò *Baſilicæ* nomen græcè non tantùm domos, cauſarum cognitioni deſtinatas, ut diximus, ſignificet, de quibus Seneca: [Fremitu, ait „ Judiciorum *Baſilicæ* reſonant]; ſed aptiùs, & genuinè eductum exiſtimetur à vocibus græcis Βασιλεὺς, Βασίλειος, Βασίλειον, quæ latinè Rex, Regalis, & Regale Palatium ſonant, utì Suidas, Henricus Stephanus, & alii explicant; quapropter præfatæ etiam Curiæ, ideò *Baſilicæ* dictæ perhibentur, quòd Principes eò ad jus dicendum convenirent; hinc qua ratione ſacra Deo, Sanctiſque Martyribus loca *Baſilicæ* nomen ſibi vindicaverint, manifeſtè cognoſci videtur ex Iſidoro; dicit ſiquidem: [*Baſilicæ* priùs vocabantur Regum habitacula, undè „ & nomen habent; nunc autem ideò *Baſilicæ* „ Divina Templa nominantur, quia ibi Regi om„ nium Deo cultus, & Sacrificia offeruntur]; ex eo tamen, quòd Regi Regum Deo in Templis cultus, & Sacrificia exhibebantur, omnia Templa, vel loca Deo ſacra, *Baſilicas* dicta fuiſſe, minimè aſſerendum videtur; ſed nonnulla tantùm, quæ Regalem magnificentiam præſeferrent, vel quæ è prophano, & judiciario Regum uſu in ſacrum eſſent converſa, utì ea, de quibus Auſonius Gallus ad Gra-

Senec. lib. 3. de irâ c. 33.

Suidas verbo Βασιλεύς.

Henric. Stephan. in Theſauro Græcæ Linguæ, verbo Βασιλεύς pag. 724.

S. Iſidorus orig. lib. 15. cap. 4. p. 101.

Gratianum Augustum scribit: [*Basilicæ* olìm negotiis plenæ, nunc votis pro tuà salute susceptis]; & ex. gr. Lateranensis *Basilica* à Magno Constantino in propriis Lateranensibus ædibus constructa. Verùm quia non tantùm Templa magnificentiori structurà excitata, sed ipsa quoque Sacella *Basilicæ* nomen acceperunt, ut adnotavit Donatus, qui in Lateranensi Palatio *Basilicam* SS. Laurentii, ac Theodori Papæ extitisse animadvertit, immò in eodem Patriarchio ædes omnes *Basilicæ* nomen habuisse observavit; & cùm insuper ex Emo Cardinali Baronio appareat, omnia Templa, etiam soli Deo dicata, à Magno Constantino *Basilicæ* nomine prænotata fuisse; hinc educimus, *Basilicæ* nomen promiscuè à Scriptoribus Ecclesiasticis cuilibet Ecclesiæ, vel Templo attributum, eo quod in ipsorum singulis Regi Regum cultus, & Sacrificia exhiberentur, vel quia è regali prophano usu ad Divinum, & Sacrum loca, & ædes essent traducta, vel quia demùm in ipsis aliquid solenne, & quodammodò regale Religionis, & Ecclesiasticarum Cæremoniarum exercebatur. Et hæc obiter de *Basilicæ*, & *Templi*, aut *Ecclesiæ* vocabulo; cæterùm quid pro *Martyrum Basilicis* ædificandis, Ecclesiasticis legibus sancitum fuerit, nunc opus est explicare.

Auson. Gall. in gratiarum act. ad Gratian. August.

Respon. de Basil. Later. lib 4 cap. 18. pag. 357. Donat. Roma vetus, ac recens libro 4. cap. 2.

Baron.

„ Celeberrimus autem, & inviolabilis Ecclesiæ „ ritus extitit (inquit Joannes Cardin. Bona), ut „ sine *Martyrum Reliquiis nullum Templum*, „ *seu Basilica*, *nullumvè Altare ædificaretur*.

Jo. Cardin. Bona Rerum Liturg. lib. 1. cap. 19 p. 145

„ Cœpit hic primùm in Ecclefiâ Romanâ obfer-
„ vari, & ab eâ ad alias dimanavit. De Felice I.
„ Summo Pontifice fic fcribit Anaftafius: [Hìc
„ conftituit, fuprà Sepulcra, aut Memorias Mar-
„ tyrum Miffas celebrari]; quia fortaffis de hoc
„ legem edidit, nè aliter fieri poffet. Prudentius,
„ poftquàm locum defcripfit, in quo repofitum fuit
„ S. Martyris Hippolyti Corpus, ità canit:

Anaftafius Bibliothec. in Felice I.

Prudent.

Illa Sacramenti donatrix Menfa, eademque
Cuftos fida fui Martyris appofita,
Servat ad æterni fpem judicis offa Sepulcro,
Pafcit item Sanctis Tybricolas dapibus.

„ Concinit Prudentio Paulinus natali 9. Sancti Fe-
„ licis:

Paulin.

Spectant de fuperis Altaria tota feneftris,
Sub quibus intus habent Sanctorum Corpora fedē;
Nàmque & Apoftolici cineres fub cælite Mensà
Depofiti, placitum Chrifto fpirantis odorem
Pulveris inter fancta facri libamina reddunt.

„ Idem initio epift. 2. ad Severum, *Reliquias ad*
„ *Bafilicam dedicandam* neceffarias effe afferit,
„ eique mittit ad hunc effectum particulam ligni
„ Sanctæ Crucis. Ambrofius epift. 54. ad Marcel-
„ linam fororem: [Cùm *Bafilicam* (inquit) dedi-
„ care vellem, mihi tanquàm uno ore interpellare
„ cœperunt dicentes, ficut in Romanâ, fic *Bafi-*
„ *licam* dedices. Refpondi: Faciam, fi *Martyrum*
„ *Reliquias* invenero]; invenit autem Sanctorum
„ Gervafii, & Protafii Corpora, & *Bafilicam*

Idem initio epiftolæ 2. ad Sever.

Ambrofius epift. 54. ad Marcellinā fororem.

Ro-

„ Romano more dedicavit. Idem initio libri de
„ hortatione ad Virginitatem de *Reliquiis* Sancto-
„ rum Vitalis, & Agricolæ ſermonem habens, ait:
„ [Munera ſalutis accipite, quæ nunc ſub ſacris
„ Altaribus reconduntur]. Hieronymus adversùs
„ Vigilantium, qui auſus eſt Martyrum cultum
„ impiis ſcriptis convellere: [Malè ergò facit Ro-
„ manus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum homi-
„ num Petri, & Pauli ſecundùm nos Oſſa vene-
„ randa, ſecundùm te vilem pulvisculum, offert
„ Domino Sacrificia, & tumulos eorum Chriſti
„ arbitratur Altaria]. Auguſtinus lib. 20. contrà
„ Fauſtum Manichæum cap. 21. [Populus Chri-
„ ſtianus Memorias Martyrum religioſâ ſolenni-
„ tate concelebrat, & ad excitandam imitationem,
„ & ut meritis eorum conſocietur, atque oratio-
„ nibus adjuvetur: ità tamen, ut nulli Martyrum,
„ ſed ipſi Deo Martyrum ſacrificemus, quamvis in
„ Memoriis Martyrum conſtituamus Altaria];
„ & Serm. 113. de diverſis, qui eſt de S. Cypriano,
„ eleganter oſtendit Templum ibi conſtructum, in
„ quo Sanguis Chriſti bibitur, ubi ille ſuum fudit.
„ Gregorius Magnus lib. 5. epiſt. 45. Leontio Ari-
„ minenſi facultatem tribuit, Eccleſiam dedicandi,
„ [in qua (inquit) *Reliquiarum Sanctuarium*
„ volumus collocari]; & infrà epiſt. 50. Epiſcopo
„ Santonenſi *Reliquias* mittit pro conſecrandis Al-
„ taribus. Agit de eàdem re lib. 7. indictione 2.
„ epiſt. 11. 12. 73. 74. & 85., lib. 9. epiſt. 26.,

Idem initio lib. de hortat. ad Virginit. tom. 4.

D. Hieron. contra Vigil.

D. Auguſt. lib. 20. contrà Fauſt. Manichæi cap. 21. tom. 6.

Idem de diverſ. ſer. 113. de S. Cypr. tom. 10.

D. Gregor. lib. 5. ind 14. epiſt. 45.

Idem epiſt. 50.

Idem lib. 7. ind 2. ep. 11. 12. 73. 74. & 85, & lib. 9. ep. 26., & lib. 10 ep. 12, & lib 1. Dial cap. 10.

„ lib. 10. epift. 12., & lib. 1. Dialog. cap. 10., Gregorius Turonen. in vitâ S. Senoch Abbatis [erecto Altari, & loculo in eo ad recipiendas *Sanctorum Reliquias* præparato, ad benedicendum invitat Epifcopum]. Apud. Sozomenum lib. 5. cap. 8. [Zeno Epifcopus Gazæ Ecclefiam ædificavit, Altare in eà erexit, ibique repofuit *Reliquias Martyrum*]. Theophanes in Juftiniano facta refert apud Conftantinopolim Encænia Apoftolorum, & recondita *lipfana* Andreæ, & Lucæ Apoftolorum, quæ folenni pompà à Menna Epifcopo in Templum delata funt. Cùm verò hic mos ab Iconomachis convelli, & abrogari cœpiffet, feptima Synodus can. 7. ftatuit, ut quæcumque Templa fine *Martyrum Reliquiis* confecrata erant, in iis *Reliquiæ* cum precibus confuetis ponerentur, & fi quis Templum fino *Reliquiis* confecraret, deponeretur, tanquàm transgreffor Ecclefiafticarum traditionum. Hujus Chriftianæ confuetudinis teftis eft, vel invitus, vir impius, & Chriftiano nomini infenfiffimus Eunapius Sardianus, qui in Ædefio Fani Serapidis ruinam deplorans, ibi Monachos introductos, & *Martyrum Reliquias* collocatas rabiofiffimè exaggerat. Quod fi aliqua Sacella, five Oratoria in Villis erigebantur, Concilium Epaunenfe canone 25. prohibuit, nè *Reliquiæ Sanctorum* in illis collocarentur, nifi Clericos vicinæ Parochiæ adeffe contingeret, qui facris Cineribus

Greg. Turon. in vitâ S. Senoch Abb.

Sozom. hift. Ecclef. lib. 5. cap. 8.

Theophanes hiftor. in Juftiniano.

Synodus 7. can 7.

Eunap. Sardian. in vitis Philofoph. in Ædefio.

Concilium Epaunenfe can. 25.

bus

„ bus psallendi frequentiâ famularentur]. Sic Bona.

In antiquis nihilominùs Conciliis, Historiis, & SS. Patrum Scriptis, ut in Concil. Gangrensi, Cabillonensi, & SS. Augustini, & Hieronymi Operibus illæ, quas sæpè sæpiùs nominatas reperimus, Martyrum *Basilicæ* propriè non ea tantùm loca indicabant, in quibus Martyrum Corpora servabantur, aut colebantur; sed insuper illa significabant, in quibus *Martyres ipsi vel passi fuerant, vel babitaverant, aut præclarum aliquid gesserant*; in his enim dumtaxàt locis *Basilicas* Martyribus construere licebat, quia nimirùm in ipsis eorundem extare *Reliquiæ* dicebantur. Nomen siquidem *Reliquiarum Martyrum* præseferebant non eorum solùm Ossa, & Cineres, aut Sanguis; sed insuper loca omnia, in quibus *vel babitaverant, vel pro Christo tormenta, aut mortem subierant, aut gloriosæ confessionis specimen aliquod præbuerant*; quibus tantùm in locis Martyribus *Basilicas* excitare permissum fuisse, ut innuimus, testatur Concil. Carthaginense 5. sub Anastasio Papa anno Domini 392. celebratum can. 14., id namque prohibuit, nè ædes ulli Martyrum ædificarentur, nisi essent ibi *aut Corpora, aut aliquæ eorum Reliquiæ, aut certè ubi Martyr babitaverat, aut nisi in loco, in quo passus fuerat*; dicit enim:

Concil. Gangren. in epist. ad Ep. Arm., & can. 20. Concil. Cabill. can. ult. D. August. D. Hieron., & alii.

Labbè Concil Carthagi-nen. 5. can. 14.

„ [Item placuit, ut Altaria, quæ passim per
„ agros, aut vias tanquàm Memoriæ Martyrum
„ constituuntur, in quibus *nullum Corpus, aut*

Reli-

„ *Reliquiæ Martyrum* conditæ probantur, ab Epi-
„ scopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest,
„ evertantur: si autem hoc propter tumultus po-
„ pulares non sinitur, plebes tamen admoneantur,
„ nè illa loca frequententent, ut qui rectè sapiunt,
„ nullà ibi superstitione devincti teneantur. Et
„ omninò *nulla Memoria Martyrum probabiliter*
„ *acceptetur*, *nisi aut ibi Corpus*, *aut aliquæ*
„ *certæ Reliquiæ sint*, *aut ubi origo alicujus ha-*
„ *bitationis*, *vel possessionis*, *vel passionis fidelis-*
„ *sima origine traditur*; nàm quæ per somnia,
„ & per inanes quasi revelationes quorumlibet ho-
„ minum ubique constituuntur, omnimodè repro-
„ bentur].

Ità Carthaginense Concilium, quod non nisi tenuisse vetustissima Ecclesiæ exempla, immò antiquum ejusdem morem eo canone renovare studuisse, apertè elicitur ex Victore Uticensi, & D. Augustino, ut videre licet apud Ecclesiasticæ historiæ Patrem Eminentiss. Baronium, qui de S. Martyre, & Episcopo Carthaginensi differens, hæc scribit:

Baron. Annal. tomo 2. anno Domini 261.

„ [Quod verò pertinet ad Martyris Cypriani
„ Memoriam, quam posteri honorificentissimè
„ omni officiorum genere sunt prosequuti, auctor
„ est Victor Uticensis Episcopus, duas insignes *Ba-*
„ *silicas*, velutì egregia tanti Viri victoriæ monu-
„ menta, fuisse erectas, alteram *ad Sexti*, *ubi san-*
„ *guinem fudit*, alteram verò *in Mappaliensi Vià*,
„ *ubi fuit sepulturæ mandatus*. Sed locus ille,

Vict. Uticen. de persecut. Vandalor. lib. 1.

ubi

„ ubi sanguinem fudit, à majoribus Mensa Cypriani „ appellatus reperitur; de qua hæc D. Augustinus: „ [In eo quippè loco, ubi posuit carnis exuvias, „ sæva tunc multitudo convenerat, quæ propter „ odium Christi, sanguinem funderet Cypriani: „ ibi hodiè venerans multitudo concurrit, quæ pro- „ pter natalem Cypriani bibit sanguinem Christi; „ & tantò dulciùs in illo loco propter natalem Cy- „ priani bibit sanguinem Christi, quantò devotiùs „ ibi propter nomen Christi, sanguis effusus est „ Cypriani. Denique sicut nostis, quicumque Car- „ thaginem nostis, in eodem loco Mensa Deo con- „ structa est, tamen Mensa dicitur Cypriani; non „ quia est ibi unquàm Cyprianus epulatus, sed quia „ ibi est immolatus, & quia ipsà immolatione suà „ paravit hanc Mensam, non in qua pascat, sive „ pascatur, sed in qua Sacrificium Deo, cui & ipse „ oblatus est, offeratur. Sed ut Mensa illa, quæ „ Dei est, etiam Cypriani vocetur, hæc causa est, „ quia ut illa modò cingitur ab obsequentibus, ibi „ Cyprianus cingebatur à persequentibus; ubi nunc „ illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus „ ab inimicis frementibus calcabatur; postremò ubi „ illa erecta est, ibi prostratus est]. Hucusque ex Baronio Augustinus.

D. August. de Divers. serm. 113.

Denique Magnum Constantinum in ædificandis *SS. Martyrum Basilicis*, non alium, quàm prædictum religiosissimum Ecclesiæ morem sectatum fuisse, rectè animadvertere licet ex Ciampinio, qui

Ciampin de sacris ædific. Constant. c. 14.

Basi-

Pancirol. in Reg. 2. Eccles. 48.

Basilicam Sancti Laurentii in Pane, & Perna eidem Principi attribuit, à quo ipsam non aliter ædificatam excogitat, quàm *ob memoriam Martyrii ejusdem invictissimi Christi Martyris ibidem assati*, ex quo eam iccircò posteà *Cappellam Furni* nuncupatam existimat.

Ut igitur juxtà venerabilia Ecclesiæ statuta Sanctorum nostrorum Martyrum Marcellini, & Petri juxtà Lateranum *Basilica* conderetur; necessè fuit vel ipsorum *Reliquias* ad eum locum transferri, vel *eorundem passionibus* locum ipsum insigniri. Quis igitur melius, quàm Constantinus, occasione qua alteram extrà Urbem ipsorum evehebat *Basilicam*, ubi eorum Corpora tumulata jacebant, hùc propè Lateranum ad novæ *Basilicæ* constructionem SS. Marcellini, & Petri *Reliquias* traducere potuit? Vel quis eo melius locum, *in quo passi fuerant*, & ubi per consequens ipsis *Basilicam* excitare licebat, noscere potuit? Quid autem excogitare prohibet, Sanctissimos Martyres, qui priùsquàm *in Sylvà Nigrà* capite plecterentur, in Urbe multiplicibus tormentorum generibus vexati fuerant, gloriosa pro Christo hoc in loco injisse certamina; undè ex antiquissimæ hujus *Basilicæ* constructione, locus idem ipsis potissimùm dicatus censeatur, *quòd suis eum passionibus glorificaverint*? Piissimus siquidem Princeps, qui duplices *Basilicas* Laurentio evexit, & in loco videlicet, *in quo passus fuerat*, & in Agro Verano, *ubi Corpus*

Corpus ejus servabatur, cur duplices etiam *Basilicas* Sanctissimis nostris Martyribus constituere non potuit, & *ubi nempè eorum Corpora condita colebantur*, & *ubi innumera prælia pro Redemptore commiserant*? Deperdita enim haud esse poterat, sicut hodiè, in Urbe loci illius memoria, in quo pro fide tuendà tot præclara vel sustinuerant, vel gesserant, cùm paucos tantùm antè annos (utpotè sub Diocletiano, & Maximiano interempti) MARCELLINUS, & PETRUS gloriosi certaminis sui cursum implevissent. Et cùm præcipuo colerentur honore à Fidelibus loca illa, in quibus Martyres consumpti fuissent, ut ea, quæ memoravimus, Cypriani, & Laurentii sub Valeriano, & Gallieno Principibus interfectorum testantur, cur dicendum non est, recentissimas passionum Martyrum memorias speciali cultu prosequutum fuisse Christianissimum Augustum, qui tantà veneratus est observantià MARCELLINUM, & PETRUM, ut non solùm suprà eorundem Corpora *inter duas Lauros Basilicam* excitaverit, sed insuper propè eam dilectæ Genitricis *Mausoleum* construxerit?

Nec obstat, quòd Ostiæ Tiberinæ, Albani, & alibi Augustus ipse alias in honorem Beatissimæ Virginis MARIÆ, Joannis Baptistæ, & Apostolorum *Basilicas* ædificasse legatur, & præsertìm Constantinopoli, ubi quantà cum amplitudine, & magnificentià Apostolorum *Basilicam* extrui curaverit, Eusebius Pamphili his verbis refert: [Post hæc in me-

Anastasius Bibliothec. in Silvestro I.

Nicephorus Histor.

Euseb. Pamphil. in Vitâ Constantini lib. 4. cap. 58.

” moriam Apostolorum Martyrium ædificare cœ-
” pit in Urbe sibi cognomine. Cùmque Templum
” omne in immensam altitudinem extulisset, vario
” lapidum genere splendidum reddidit, à solo ad
” cameram usque marmoreis crustis illud operiens.
” Porrò cameram lacunaribus minutissimi operis
” obducens, totam auro imbracteavit. Et suprà
” quidem, æs tegularum loco impositum, universo
” ædificio munimentum adversùs imbres præbebat.
” Quod itidem auro plurimo superfusum resplen-
” debat, adeò ut procul spectantium oculos fulgore
” præstringeret, Solis radiis æris objectu repercussis.
” Totum verò solarium reticulatis quibusdam ana-
” glyphis ex ære, & auro fabrefactis erat circum-

Idem cap. 59

” datum. Circà ipsum Templum ingens erat area,
” libero, ac patente desuper cælo; cujus ad quatuor
” latera, porticus erant sibi invicem conjunctæ,
” quæ aream in medio sitam unà cum ipso Templo
” circumcingebant. Prætereà Basilicæ, lavacra,
” diversoria, & alia plura habitacula ad usum eo-
” rum, qui &c.] Hæc Eusebius de Basilicâ Apo-
stolorum, in qua tamen, sicùt nec in aliis suprà rela-
tis, Apostolorum, vel Sanctorum Corpora, aut Me-
morias nunquàm extitisse deprehenditur. Verùm, ut
diximus, id non obstat; nàm hìc tantùm *de Basilicis Martyrum* strictè loquimur, easque ædificare non li-
cuisse, nisi in locis, in quibus *vel eorum Corpora, aut Reliquiæ custodiebantur, aut ubi Martyres ipsi habitassent, aut passi essent*, ex sacrorum Conci-
liorum.

liorum ſanctionibus ſatis oſtendimus.

Nihilominùs ſi Conſtantino hanc *Baſilicam* adſcribere æquum non judicatur, Sanctiſſimo ſaltèm Pontifici Damaſo non irrationabiliter tribuenda cenſetur. Ad Apoſtolicam quippè Sedem evectus Damaſus, inter cæteros Pontifices poſt Silveſtrum, & antè Magnum Gregorium, in Baſilicarum, ſacrarumque Ædium vel reſtauratione, vel conſtructione præ omnibus laboravit, Martyrumque venerandas memorias & opere, & verbo ſpectabiliores reddidit. Præcipuè tamen Sanctiſſimos noſtros Martyres Marcellinum, & Petrum peculiari honore proſequutum fuiſſe, abundè perhibet Epitaphium, quod eorum tumulo (ut ſuprà non ſemèl innuimus) inſcripſit. In eo autem, cùm ſe ab ipſo Carnifice, qui illos gladio percuſſerat, eorundem Martyrium didiciſſe fateatur, hac ratione illorum ſententiam confirmat, qui non alium, quàm ipſum Damaſum iſtorum Martyrum Acta litteris mandaſſe aſſeruerunt, ut inter alios MS. Cod. Archivii Canonicorum S. Petri à Conſtantino Abbate Cajetano exaratus, & Eginhardus teſtati ſunt; primus enim dicit ubi de Damaſo: [Scripſit & paſſionem SS. Marcellini, & „ Petri, quam ſibi eorundem ſpiculatorem aſſerit „ tradidiſſe].

Vit., & Acta Sancti Damaſi apud Mart. Mileſ.

Conſtantin. Abb Cajetan. MS. Cod. Archiv. Canon. S. Petri.

Eginhardus verò:

[*Hæc ut geſta referuntur, retuliſſe aſſerunt*
Illum ipſum, qui eoſdem interemit Martyres,
Et ab illo didiciſſe Damaſum Pontificem,

Apud Sur. Vit. Sanctor. to. 7 ſub die 2. Junii.

 Cùm

Cùm ætate puerili per eadem tempora
Sub Magiſtro miniſtraret, & ad magnũ creſceret
Rerum culmen, tunc Romanà Lector in Eccleſiâ;
Poſt hæc cuncta memoraſſe, ac mandaſſe litteris,
Cùm illius Almæ Sedis obtineret apicem,
Et in totâ principatu polleret Eccleſiâ].

Cùm igitur Damaſus MARCELLINI, & PETRI, eorumque Martyrii Acta conſcripſerit, & venerandum Sepulcrum verſibus exornaverit, haud certè eum latère locus potuit, *in quo Romæ paſſi fuerant*; aut,(opportunitate eorundem Tumulum magnificentiori cultu illuſtrandi arreptà) æquiùs eo nemo ipſorummet aliquas *Reliquias* ad novæ *Baſilicæ* juxtà Lateranum dedicationem in Urbem transferre valuit. Quod enim in eà *Martyrum Reliquiæ* ſerventur, & antiquiſſima, quam ibidem intuemur, marmorea Tabula teſtatur, & Scriptorum nullus, qui hac de re diſſeruit, fateri prætermiſit; quapropter cùm Magni Gregorii ævo jàm hæc *Baſilica* extaret, & antè ipſum poſt Silveſtrum Pontificem, neminem, niſi Damaſum Martyrum Sepulcro exornando manum impoſuiſſe reperiamus; hinc credere neceſsè eſt, non niſi eum, ad alteram extruendam *Baſilicam*, ſacras eorundem *Reliquias*, ſine quibus hanc minimè excitare licuit, in Urbem tranſtuliſſe.

Anaſtaſius Bibliothec. in Damaſo. Quod ſi objicietur, duas tantùm à Damaſo ædificatas Baſilicas in Anaſtaſio recenſeri, unam juxtà Theatrum Pompeii, Viâ Ardeatinâ alteram; reſpon-

respondendum videtur, hoc de celebrioribus inter alias intelligendum esse, vel quòd eas, præ cæteris, speciali amore dilexerit, auxeritque iccircò ipsarum nitorem, & cultum, ut patenter elicitur ex Hadriani I. Epistolà ad Carolum Magnum Imperatorem, in qua hæc leguntur: [Sanctus Damasus elegantis- *Hadrian. I. ad Carolum Magn. Imp. pro 2. Concil. Nicæn. anno 787.*
„ simus Papa propriam suam fecit Ecclesiam, cujus
„ Sanctus Gregorius Papa meminit in Dialogis]. Quòd enim, præter duas eas Basilicas, aliorum quoque ædificationi studuerit, rectè Emus Baronius elicit ex ipsius Actis, à quibus educit, non tantùm Romæ, sed etiam extrà Bmum Pontificem serventissimam hanc suam in hisce operibus sollicitudinem protendisse; dicit enim: [In ejsdem Actis *Baron. anno 384. to. 4.*
„ Damasi habetur, ab eo absolutam Ecclesiam
„ Sanctarum Virginum, & Martyrum Rufinæ,
„ & Secundæ *in Sylvà Candidà*: Rursùs de eodem
„ in dicto libro de Romanis Pontificibus legitur,
„ quæsisse insuper Corpora Sanctorum Martyrum,
„ atque invenisse; nec non Concilia Martyrum,
„ (nempè, ut alibi declaravimus in notis, ubi plura
„ sunt Sepulcra Martyrum, Cœmeteria scilicèt)
„ versibus pariter illustrasse, &c.]

Si ergò inter Silvestrum, & Gregorium omnium Pontificum nemo in sacris construendis Basilicis, Sanctorumque Martyrum augendo cultu, Damaso ferventior deprehenditur; si æquè ac ille nemo opportuniorem occasionem habuit MARCELLINI, & PETRI *Reliquias* in Urbem traducendi, nactà

nactà nimirùm opportunitate ex ornatu ipforum Sepulcro fuperimpofito; & tandem fi eos præcipuà veneratione dilexit, illorumque Acta monumentis mandavit, & locum paffionis eorundem in Urbe ignorare non potuit; ex allatis rationibus, quis præter eum Marcellini, & Petri propè Lateranum *Bafilicam* conftruere debuit?

Finis Secundæ Partis.

DE

DE SACRIS BASILICIS SANCTORUM MARTYRUM MARCELLINI, ET PETRI DE URBE.

Dissertatio Historica.

Pars Tertia.

CAPUT PRIMUM.

Prima, quæ in Ecclesiasticis Tabulis hujus Basilicæ *propè Lateranum recordatio recolitur sub S. Gregorio Magno; & an hæc, vel altera extrà Urbem* Titulo *Cardinalis Presbyteri fuerit insignita.*

AMBIGUIS, & incertis de fundatione *Basilicæ* SS. MARCELLINI, & PETRI propè Lateranum relatis opinationibus, jàm illas, quas minimè dubias in Ecclesiasticis monumentis hujus *Basilicæ* memorias reperimus, in medium proferamus. Illarum prima ea est, quæ sub Magno Gregorio occurrit in Actione Synodi secundæ

secundæ Romanæ sub eodem anno Domini 596. celebratæ in causâ Joannis, & Athanasij Presbyterorum: [Quorum prior (inquit Baronius) hæresis „ damnatus injustè fuerat, quam ob causam Gregorius Romam eum advocaverat. Quid autem „ de eo factum sit, ubi Acta Judicialia jussa sunt „ Romam deferri, ex aliis Gregorii Papæ litteris „ possumus intelligere, cùm rescribens ad eundem „ Joannem Episcopum Constantinopolitanum, causam ejus in Synodo Romanâ fuisse cognitam tradit, ipsumque repertum innocentem absolutum, „ atque Orientale de eo habitum jàm abrogatum „ esse judicium, in quo iniquè admodùm Presbyter „ ille Chalcedonensis Ecclesiæ, licèt Catholicus esset, per Joannis Judices, impositis (ut vidimus) „ verberibus, fuerat uti hæreticus condemnatus; „ qua de causâ perbenignè hoc modo commonuit „ eundem Joannem Gregorius: [Hoc ergò, frater „ sanctissime, subtiliter perpendamus, & sub prætextu hæresis affligi quempiam veraciter innocentem non sinamus, nè (quod absit) hæresim „ fieri sub emendationis magis specie permittamus]; & in eandem sententiam de eo scribens „ ad Mauritium Imperatorem, hæc habet: [Veraciter confitenti non credere, non est hæresim pugnare, sed facere]; Marcionistarum enim hæresis „ crimine fuerat hic vir Catholicus infamatus, & „ per Joannis Judices judicatus.

Baron to. 5. anno 595. pag. 90.

D. Gregor. epist. libro 5. indiction. 14. epist. 15.

Idem ibid. epist. 16.

„ Quòd verò pertinet ad Athanasium reorum alte-

„ alterum, quid gestum sit, ipse Gregorius docet
„ in Epistolà ad Narsetem, nimirùm inventum esse,
„ ut ait, aliquà ex parte Manichæum, veruntamen
„ accusatorem ipsius ex ejus accusationibus esse con-
„ victum Pelagianum; inventumque Codicem editi
„ Ephesini Concilii missum Constantinopoli esse
„ falsatum]. Hæc Baronius.

D. Greg. epist. lib. 5. epist. 14. Ind. 14.

Cum igitur ad consultissimum his in causis pronunciandum judicium Romæ Synodum Magnus Gregorius, ut innuimus, coegisset, inter eos, qui eidem interfuerunt, subscriptum reperimus *Albinum* quendam *Tituli* SS. Marcellini, & Petri *Presbyterum*. Paulò enim antè, vel circà ejusdem Pontificis tempora SS. Marcellini, & Petri *Basilicam* eodem Presbyteratus *Titulo* fuisse decoratam passim ferè Scriptores cuncti arbitrantur; & eo insignitam honore volunt occasione, quòd cum in Urbe quidam alii *Tituli* obsolevissent, & *Tituli* esse desiissent, alii mutatis nominibus suffecti fuerint. *Tituli* siquidem S. Crescentianæ, S. Æmilianæ, S. Nicomedis, S. Caii, & S. Matthæi in Merulana defecerant, quorum vice subrogati leguntur illi S. Balbinæ, S. Crucis in Hierusalem, S. Stephani in Monte Cœlio, SS. Quatuor Coronatorum, & SS. Marcellini, & Petri. *Titulus* enim antiquissimus S. Matthæi in Merulanà, qui adhuc extat, per mille tamen ferè annos, nempè à Magno Gregorio, usque ad Leonem Decimum, qui eum restituit anno Domini 1517., *Titulus* esse desierat, in cujus locum suffectum eum SS. Marcellini,

Concil. gener. Labbè in Gregorio Magn. Ciaccon. in Greg. & alii passim.

& PETRI credimus; quia, cum *Tituli*, ut dicetur, curam gererent animarum, qui earum S. Matthæi in Merulanà ſollicitudinem ſuſciperet, proximior *Titulus* eo SS. MARCELLINI, & PETRI minimè reperiebatur. *Baſilicam* autem ipſorum Martyrum hoc Presbyteratus *Titulo* exornatam, nequàquam fuiſſe illam *Viâ Lavicanâ tertio ab Urbe milliario inter duas lauros* à Conſtantino Magno excitatam, quæ mox de *Titulis* breviter diſſeremus, patentèr manifeſtabunt.

CAPUT II.

De Titulis *Presbyterorum Cardinalium aliquorum Scriptorum ſententiæ proponuntur.*

Petr. Frizon in Appar. ad Galliam Purpurat. cap. 3.

„ [*Tituli* dicebantur Domus Fidelium (inquit Petrus Frizon), qui eas Deo conſecrarant, in quibus Synaxes peragebantur, „ diſtinguebanturque certà teſſerà, & *Titulo* inſtar „ fundorum, qui in Patrimonium Principis reducti, „ vel in manu ejuſdem poſiti, notabantur velis, „ quibus Imago Cæſaris imprimebatur; ea vocat „ *Cortinas Regias* D. Ambroſius; Eorundem meminit D. Auguſtinus, *ne domum ipſius invadat* „ *aliquis potens, ponit ibi Titulos potentis*. *Tituli* „ in prædiis etiam dicebantur Tabulæ, in quibus „ Dominorum nomina inſculpta erant, ut ex iis, „ cujus prædia eſſent, cognoſcerentur. *Titulis* porrò,

D. Ambroſius. epiſtol. lib. 2. epiſt. 14. ad Marcellinam ſororem.

D. Auguſtin. tom 8. in pſal. 21.

Rubric. lib. Cod. 11.

„ rò, & Ecclesiis ità adscribebantur Presbyteri, ut
„ ab illis recedere non possent, nisi cum bonà veniâ
„ Episcopi; quamobrem Anastasius Presbyter Car- *Anast. Bibliothecar in Leon. IV.*
„ dinalis Tit. S. Marcelli, uno omnium consensu,
„ in Concilio Romano, cui præfuit Leo IV. anno
„ Dom. 853. mense Decembri, excommunicatio-
„ nis vinculo irretitus, & depositus, quòd paræciam
„ quinquennio, contrà antiquorum Canonum de-
„ finitiones, deserviffet, & adhuc moraretur in alie-
„ nis. Itaque *in Sacris Titulus erat vexillum*
„ *Crucis*, quòd eo signo res censerentur dicatæ reli-
„ gioni. Sic Theodosius Imperator præcepit edicto, *Lib. ult. C. Theod. de Paganis.*
„ Gentilium Delubra in sacrum usum transferri,
„ *vexillo Crucis apposito*. Aliam profert rationem
„ Eminentissimus dignitate, & scientià Baronius, *Baronius anno 112. to. 2.*
„ Ecclesiam appellatam esse *Titulum*, quòd qui ei
„ præficeretur, ab eà nomen, *titulumque* depro-
„ meret; usus tamen Romæ invaluit, ut non quæ-
„ cumque Basilica *Titulus* nuncuparetur, sed tan-
„ tùm insigniores, quibus præponerentur Cardina-
„ les. *Tituli* nonnunquam, & sæpiùs desumeban-
„ tur ab ejus Sancti nomine, cui dicata erat Ecclesia,
„ ut S. Cæciliæ, S. Mariæ Transtiberim; aliquando
„ ab iis Pontificibus, qui *Titulos* Basilicis indide-
„ rant, ut Julii, & Damasi; aliquando ab iis, qui
„ Templa ipsa exædificarant, ut Lucinæ, ut Pasto-
„ ris, ut Eudoxiæ]. Hæc Frizon, qui cuncta ferè,
quæ profert, ab eo, quem meritò summis extollit
laudibus, Card. Baronio hausisse, ex ipsiusmet Baro-

nii textu colligitur; fub anno enim Domini 112., ubi de *Titulis* ab Evarifto in Urbe, ut arbitratur, inftitutis agit, hæc habet:

Baron. Annal. tom. 2. anno 112.

Anaftafius Biblioth. in Evarifto.

Habentur tom. 1. Bibliot. PP.

„ [Cùm autem in fuperius citato libro, (nem-
„ pe in Anaftafio Bibliothecario) mox fubditur:
„ (Hic *Titulos* in Urbe Romà divifit presbyteris),
„ quid per *Titulos* intelligi debeat, eft accuratiùs
„ perveftigandum. Haud tamen dubium, per *Ti-*
„ *tulos* accipi Domos divino cultui mancipatas, in
„ quibus chriftiani Synaxes agere confueverant:
„ eft de his exemplum in brevioribus illis, fed planè
„ aureis Pii Papæ epiftolis ad Juftum Epifcopum
„ Viennenfem, in quarum priori hæc de nuper
„ erecto *Titulo*: (Antequam Romà exüiffes, Soror
„ noftra Euprepia, ficut benè recordaris, *Titulum*
„ Domus fuæ pauperibus affignavit, ubi nunc cum
„ pauperibus noftris commorantes, Miffas agimus),
„ & pofteriori: (Presbyter Paftor *Titulum* condi-
„ dit). Sic igitur, quòd dicatur Evariftus *Titulos*
„ divififfe Presbyteris, de illis planè intelligendum
„ eft, qui recens effent inftituti; ficut enim Chri-
„ ftiana Religio in dies majoribus augebatur incre-
„ mentis, ità paritèr novos adjicere *Titulos* opus
„ erat, prout & pofterioribus temporibus effe fa-
„ ctum apparet.

„ Sed undè acciderit, ut domus Fidelium in
„ facrum ufum converfæ, quas nos Ecclefias dici-
„ mus, à majoribus *Tituli* dicerentur, paucis ape-
„ riendum. A rebus Fifcalibus videtur accepta effe
nomen-

„ nomenclatura: *Tituli* namque impositione rem „ aliquam sibi Fiscus solitus erat vendicare, atque „ Principi consecrare, ut cum ait Imperator: (*Ti-* „ *tuli* vero, quorum adjectione prædia nostris sunt „ consecranda substantiis, non nisi publicà testifi- „ catione proponantur). Fuisse hujusmodi *Titulos* „ vela quædam, quæ regiam repræsentarent pote- „ statem, vel imaginibus Imperatorum, vel nomi- „ nis ipsorum inscriptione insignita, multa sunt, „ quæ poterunt demonstrare, sed nos brevitèr tan- „ tùm rem attingemus. Ejusmodi vela *Cortinas* „ *Regias* S. Ambrosius nominat, dum scribens ad „ Marcellinam, de Valentiniano Imperatore agit, „ qui cortinarum illatione intrà Basilicam, illam „ sibi eo modo studuit vendicare, sed eisdem à pue- „ ris scissis, omnia irrita sunt reddita. Porrò *Titu-* „ *los*, & literis notari solitos, S. Augustinus his „ verbis demonstrat: (ne domum ipsius invadat „ aliquis potens, ponit ibi *Titulos* potentis, *titulos* „ mendaces: ipse vult esse possessor, & frontem do- „ mus suæ de *Titulo* alieno muniri, ut cum *Titulus* „ fuerit lectus, conterritus quis potentià nominis, „ abstineat ab invasione). Vetuit Gregorius, hu- „ jusmodi *Titulos* imponi Ecclesiasticis rebus, quip- „ pè qui sciret, *Titulos* Ecclesiasticos longè à Fisca- „ libus diversos esse debere.

Leg. si quando C. de bon. vacant. li. 11.

D. Ambros. ut suprà.

D. August. ut suprà.

D. Greg. lib. 5. epist. 41.

„ Fuisse autem apud Christianos *Titulum*, „ quo domus aliqua cultui divino manciparetur, „ *vexillum Crucis*, ex iis possumus intelligere, quæ

Theo-

Leg. ult. de Paganis Cod. Theod.

Theodoſius Imperator edicto præcepit, ut delubra Gentilium Chriſtianæ Religionis cultui mancipa-rentur, collocato in eis, ut ait, venerandæ Chri-ſtianæ Religionis ſigno; eàque ratione, quod *Ti-tulo Crucis* cenſerentur res dicatæ eſſe religioni, Leo Imperator, ne ***ſignum Crucis*** inſerretur in loca publica, quæ gratià popularis voluptatis eſſent erecta, lege vetuit, cum ſic ait: (Decernimus, ut poſthac neque Monachi, aut quicumque alii cu-juſque ſtatus, atque fortunæ, in ædes publicas, vel in quæcumque loca populi voluptatibus fabri-cata venerabilem ***Crucem***, & Sanctorum Marty-rum Reliquias illicitè inferre conentur, vel occu-pare audeant ea, quæ ad publicas cauſas, vel ad populi oblectamenta extructa ſunt). Ad hæc in-ſuper alia ſunt complura exempla, & auctoritates, quibus *Crucis vexillo* illato, velut præfixo *Titulo*, res cenſeretur Deo dicata; quæ collegimus in noſtris Notis in Romanum Martyrologium editis, ut non ſit opus eadem hic denuo repetere. Cum igitur domus aliqua publico religioſo Chriſtiano-rum uſui manciparetur, *Crucis Titulo* inſignita, ex eo & nomen accipiens, *Titulus* dicebatur; ex his & alluſio facta eſt apud Ambroſium, cum di-citur: (Domum ſalutat; tam enim devota fuiſſe videtur, ut omnis domus ejus ſigno *titulata* eſſet *Crucis*). Sed & alià quoque ratione dici poteſt, Eccleſiam dictam eſſe *Titulum*; nimirum, quòd, qui illi presbyter adſcriberetur, ab eà nomen, titu-

Leg. decernimus, C. de Epiſcop., & Cleric.

Martyrolog. Rom. ad diem 26 Julii.

D. Ambroſ. in epiſtol. ad Celeſſ c 4 in fin.

„ *titulumque* acciperet, ut ejus loci presbyter dice-
„ retur].

Eminentiſſimi Cardinalis Baronii ſententiam de *Titulorum* inſtitutione inter alios tenuit quoque Franciſcus Cardinalis Albitius, qui rem eandem pluribus eſt proſequutus; nam & ipſe, quas nos vocamus Eccleſias, à Majoribus noſtris *Titulos* nuncupatas exiſtimans, atque eoſdem *erectione Crucis* aſſerens conſecratos: [Ex eo more, inquit, emanarunt conſtitutiones, ne quis ædificaret Eccleſiam, niſi prius Civitatis Epiſcopus veniat, *& ibi Crucem figat*, ut patet ex Concilio Aurelian. regiſtr. in C. nemo 9. de Conſecr. diſtinct. 1., & in l. Decernimus C. de Sacroſ. Eccleſ., & in Auth. ut nullus Fabric. col. 5. tit. 17. in Capitul. Franciæ lib. 5. cap. 239., & in Ritual. Rom. de Divinis Officiis cap. de ædific. Eccleſ.; ſivè quia ad fores Eccleſiarum in honorem Martyrum erectarum vela quædam ſuſpendebantur, in quibus depingebatur ipſius Martyris imago, aut nomen, quæ *Tituli* dicebantur, ut ex Gregorio Turon. lib. 4. Mirac. B. Martini, ex B. Paulino Natali ſexto, qui ſic canit:

Franc. Card. Albit. in diſcept. de Juriſd. Cardin. in Tit pag. 1. & ſeq.

. . . . *Qui pulchra tegentis*
Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris
Hi leves Titulos *lento poliant argento,*
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.

Paulin.

„ Quæ vela Divus Ambroſius *Cortinas Regias*

D. Ambroſ. ut ſuprà.

appel-

„ appellat epiftolarum libro 5. epiftola 33.
„ Sivè quia in ædibus in honorem Sanctorum
„ erectis affigebantur Tabellæ quædam cum infcri-
„ ptione nominis illius Sancti, quo ædes Deo erat
„ dedicata, quæ *Tituli* vocabantur, defumptà no-
„ menclaturà à Fifcalibus *Titulis*.
„ Sivè deniquè, quia cùm Domus Fidelium in
„ Sanctorum hominum memoriam ædificarentur,
„ memoria illa *Titulus* vocabatur, defumpto argu-
„ mento à facris litteris, nam lib. 2. Reg. cap. 18.
Reg. lib. 2. cap. 18. „ habetur: (Porrò Abfalon erexit fibi, cum adhuc
„ viveret, *Titulum*, qui eft in Valle Regis, dixe-
„ rat enim, non habeo Filium, & hoc eft monu-
„ mentum nominis mei, vocavitque *Titulum* no-
Genef. c. 18. „ mine fuo), fic etiam Jacob Genef. cap. 18., lapi-
„ dem, quem fuppofuit capiti fuo, cùm in fomnis
„ vidit Scalam, erexit in *Titulum*. Utcumque fit
„ Ecclefiæ in honorem Sanctorum ædificatæ ab ini-
„ tio nafcentis Ecclefiæ, *Tituli* vocatæ funt; fic ex
Prudentius hymn. 5. de S. Vincent. „ Prudentio hymno 5. de S. Vincentio:

Jam nunc & offa extinxero
Ne fit fepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque *figat Martyris*.

Idem hymno 12 „ Et hymno 12.

Parte aliâ Titulum *Pauli via fervat Oftienfis*.

„ [Et hoc nomen *Tituli* à tutando derivaffe,
„ eo quod, ubi effent affixæ Tabulæ, pro fuo vendi-
„ carent, atque tuerentur, voluit Cujacius, Suret,
& alii

„ & alii citati ab Amaya d. leg. si vacantia num. 6.,
„ quod tamen non placet Julio Cæsari Scaligero
„ lib. 1. poet. cap. 9., quem referunt Ludovicus à
„ Cerda lib. 3. Enead. verſ. 545. num. 10., Theo-
„ dor. Keoping. in tract. de Insigniis cap. 22. §. 1.
„ num. 15.; nam credidit Scaliger, verbum *Tituli*
„ derivare à verbo Græco Τιμὴ, quòd honorem si-
„ gnificat, ut idem sit honor, ac *Titulus*.

„ Et ex his assentire non possum (ejusdem
„ Albitii sunt verba) Ciacconio in Vità S. Hygini *Ciaccon. in Hygin.*
„ Papæ in discursu de origine Cardinalium, quem
„ sequutus est Casalius de Veter. Sacr. Christianor. *Casal. de Vet. Sacr. Christianor. Rit. cap. 83.*
„ Ritibus cap. 83., existimanti, *Titulos* nihil aliud
„ esse, quàm redditus, vel proventus ex Villis, Præ-
„ diis, Fundis, aut Agris à piis sivè viris, sivè fœ-
„ minis ad alendos Ecclesiæ ministros relicti, & hinc
„ ortos esse *Titulos* Equitii, Vestinæ, Pammachii,
„ Lucinæ, Julii, Callisti, Damasi, Pastoris, Eudo-
„ xiæ, Æmilianæ, Crescentiæ, Fasciolæ, Tygridæ.
„ Nam nomen *Tituli* non bonis, & redditibus ap-
„ plicatum fuit, sed ædibus, & Ecclesiis ad divinum
„ cultum destinatis, ut colligitur ex Baronio in no-
„ tis ad Martyrologium die 19. Junii, ubi de *Titulo*
„ Vestinæ, & die 26. Julii, ubi de *Titulo* Pastoris,
„ & die 1. Augusti, ubi de *Titulo* Eudoxiæ, & de
„ *Titulo* Equitii Damasus in Silvestro hæc habet:
„ (Hic fecit in Urbe Romà Ecclesiam in prædio
„ cujusdam Presbyteri sui, qui vocabatur Equitius,
„ quam *Titulum* Romanum constituit juxtà Ther-

Anastas. Biblioth. in Innoc. I.

Victorell. ad Ciaccon. in Hygin.

Lib. 1. Fœud. Tit 6. §. 1.

Calvin. Lexicon Juris verb. Tituli primùm.

Quintana Duen lib. 3. Ecclesiast. in Can. 4. Conc. Chalcedonen. n. 13.

„ mas Diocletianas, qui usque ad hodiernum diem „ appellatur *Titulus* Equitii), & de *Titulo* Vestinæ „ Anastasius in Innocentio I. (eodem tempore „ dedicavit Basilicam SS. Gervasii, & Protasii, & „ infrà, *Titulum* Romanum constituit), & opinionem „ Ciacconii reprobat Victorellus ad eundem „ Ciaccon. loc. cit. verb. *Tituli* autem pag. 46., „ dum ait: (Evaristus Pontifex, dum *Titulos* in Urbe „ divisit, nullam de redditibus mentionem fecit).

„ Verum est, quòd successivis temporibus „ Prædia Clericis assignata ad victum, & Ecclesiis „ relicta *Tituli* nomine vocata sunt, ut apparet ex „ lib. 1. Fœudorum Tit. 6. §. 1. ibi: (Si Episcopus, „ vel Abbas, vel Abbatissa, vel Dominus plebis „ fœudum dederit de rebus Ecclesiarum, quæ iis „ subjecta sunt, & *Tituli* vocantur); quod nomen „ transfusum est ab Ecclesiis in bona, ut ex nostris „ notat Calvinus in Lexicon Juris verb. *Tituli* primùm, „ ubi (quòd *Tituli* primùm erant certæ sedes „ Clericis attributæ, in quibus munus suum „ exercebant; posteà verò eo nomine Prædia iis ad „ victum, cultumque assignata): & hoc etiam prius „ tradidit Quintana Duennas lib. 3. Ecclesiasticon „ in explicatione Canonis IV. Concilii Chalcedonensis „ num. 13. (nam hoc *Tituli* verbum ponimus „ in certo quodam loco, & sede certà, quæ in „ Ecclesià Clericis attributa erat, ut munus suum „ exercerent, quo nomine Prædia etiam his ad victum, „ cultumque assignabantur).

Hinc

„ Hinc orti sunt posteà *Tituli* ordinationum, „ de quibus in dicto cap. 4. Concilii Chalcedonensis „ registrat. in C. neminem 70. distinct.; non enim „ antiquitùs admittebatur quis in Clerum, nisi qui „ certæ Ecclesiæ esset adscriptus. Petr. Gregor. in „ Institut. Rei beneficiar. cap. 8. num. 1., Tondut. „ quæst. Canon. par.2. cap. 1. §.11. num.2.; Undè „ ejus Ecclesiæ, & *Tituli* dicebatur, in cujus albo „ erat descriptus; Baronius ad Ann. 112. n.4. 5. 6.; „ Bimius ad Vit. Evaristi, vers. hic *Titulus*.

„ Nec cum Casalio possumus sentire, qui loco „ superius citato existimat, quòd, si redditus Eccle- „ siarum essent opulenti, non unus, sed duo, & plu- „ res singulis *Titulis* præficiebantur: licèt enim „ verum sit, plures Presbyteros uni *Titulo* fuisse „ addictos, & ex eodem *Titulo* plures denominari, „ ut constat ex subscriptionibus Concilii Romani „ primi sub Symmacho, cui subscripsere plures „ Presbyteri ejusdem *Tituli*; & Synodi Romanæ „ sub Gregorio Magno, de qua lib. 4. epistol. ejus- „ dem Gregorii Indict. 13. epist. 88., cui subscri- „ psere Presbyteri S. Balbinæ tres, S. Damasi duo, „ SS. Apostolorum tres; non tamen hoc evenit „ propter redditūum opulentiam, sed quia fidelium „ crescente numero, oportuit crescere ministros in „ *Titulis*, qui Sacramenta ministrarent, ut ait Car- „ dinalis Turrecremata in Summà de Ecclesià lib. 1. „ cap.83. vers. Quod vero]. Huc usquè Albitius.

Casal. ut supra.

Div. Gregor. Registr. epist. lib.4. Ind 13. epist.88.

Turrecrem. in Summa de Eccles. lib.1. cap.83.

CAPUT III.

De iiſdem Presbyterorum Cardinalium Titulis *aliæ opiniones adnotantur.*

QUamvis verò omnimoda fides Inſignium Scriptorum ei, quam attulimus, ſententiæ adhibenda eſſe videatur; tamen haud improbabilia edidiſſe Franciſcum Mariam Florentinum in adnotationibus ad vetus Martyrologium fateri compellimur: ad diem enim primam „ Auguſti hæc diſertè ſignavit: [*Titulos* proprio „ nomini erectos, tàm in veteri, quàm in novà lege „ animadverto; Eccleſias non invenio, quæ cum „ inſignis ſit differentia, videtur aliquod inter *Ti-* „ *tulum*, & Eccleſiam diſcrimen ponere, quamquam „ omnes ferè, qui de ſacris *Titulis* ſcripſerant, „ *Titulum* cum Eccleſià miſcere videantur, ut do- „ ctiſſimus Baronius, & poſt eum Gretzerus, ille „ in notationibus ad Martyrol., & in Annalibus; „ hic lib. 2. de Cruce cap. 7. Primos utiquè Apoſto- „ licos Viros, à quibus primi Chriſtiani didicerunt, „ *Tituli* nomen eo potiùs ſenſu uſurpaſſe credendum „ eſt, quo in ſacris litteris expreſſum, & uſitatum „ viderint, quàm quo Gentiles, & Ethnici uſi „ ſunt. *Titulum* quid fuiſſe in faſtigium erectum, „ pro ſigno ſivè veræ, ſivè falſæ religionis, vel pro „ monumento ad poſteros alicujus rei geſtæ, vel con-

Florentinus vetuſt. Occident. Eccleſ. Martyrol. ad diem 1. Aug. pag. 714.

Baronius anno 112., & in notis ad Martyrol. ad diem 26. Jul. Gretz. lib. 2. de Cruce c. 7.

„ conſpicuæ perſonæ in ſacris voluminibus invenio.
„ Pro veræ pietatis ſigno Jacob Patriarcha Geneſ. cap. 28. (Tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in *Titulum*, fundens oleum deſuper), ità vovens Altare Deo, quod alio tempore ædificavit, & Domum Dei dixit, ut patet ex ejuſdem Geneſis cap. 31., & 35. *Titulum* paritèr lapideum, quando eum Dominus vocavit Iſrael, erexit Jacob in loco, quo locutus fuerat ei Deus. Sacros duodecim *Titulos* erexit Moyſes Exod. cap. 24. pro duodecim Tribus Iſrael, cum ad radices Montis ædificavit Altare, quod ibi palàm differt à *Titulis*. Ethnicos pro falsà Religione *Titulos* etiam erexiſſe, patet ex Num. cap. 3., mandavit enim Deus Iſraelitis intrantibus terram Chanaan, ut (eorum confringerent *Titulos*, & Statuas), & 26. Levitici eiſdem vetuit, ne ſibi facerent Idolum, & Sculptile, aut erigerent *Titulos*: non tamen ſemper fuerunt *Tituli* ſignum rei Deo, aut Idolis devotæ, ſed monumentum etiam indicabant alicujus memorabilis facti, aut defuncti hominis; ità idem Jacob Geneſ. cap. 31. tulit lapidem, & erexit in *Titulum* initi fœderis cum ſocero Labano, & mortuà Rachele uxore *Titulum* ſuper ejus ſepulcrum erexit, de quo his verbis ſacra pagina teſtatur: (Hic eſt Titulus monumenti Rachel uſque in præſentem diem). Sed Abſalon Davidis Regis filius Reg. cap. 18. erexit ſibi *Titulum* monumentum nominis ſui,

Geneſ. c. 28.
Geneſ. c. 31. & 35.
Exod. c. 24.
Num. cap. 3.
Levitic. 26.
Geneſ. c. 31.
2. Reg. c. 18.

& vo-

„ & vocavit *Titulum* nomine fuo. Quemadmo-
„ dum verò Abfalon *Titulum* fuum vocavit *Manus*
„ *Abfalon*, ita & Jacob primum, quod erexit,
„ *Domum Dei* infcripfit. Erat igitur *Titulus* in
„ lege veteri lapis, vel tumulus in faftigium erectus
„ ad indicandum prætereuntibus locum effe vel
„ Deo, vel memoriæ alicujus rei geftæ, vel illuftris
„ perfonæ dicatum.

„ Initio nafcentis Chriftianæ legis, dum Euan-
„ gelica paupertas, & humilitas vulgabatur, vix
„ *Titulos* alios erectos exiftimarem, quàm in opus
„ Religionis, vel ad Ecclefiam mox conftruendam,
„ Deoque dicandam, vel ad conventum in fignatà
„ domo convocandum, vel ad alicujus Sancti Viri
„ defuncti memoriam. Anacletus S. Petro, quem-
„ admodum liber Pontificalis teftatur, memoriam
„ conftituit, hoc eft *Titulum* fuper monumentum.
„ Ita me docet Prudentius, qui fepulcrum S. Pauli
„ Vià Oftienfi *Titulum* eruditè dixit:

Prudent. (*Parte alià* Titulum *Pauli Via fervat Oftienfis*);
„ atque ità etiam à Fidelibus vocatas fuiffe Marty-
„ rum memorias, docet apud eundem Prudentium
„ Tyrannus, qui S. Vincentii offa aboliturum fe
„ minatur:

Ne plebs garrula excolat,
Titulumque *figat Martyris*.

„ Sed *Tituli* furente perfecutione domus erant à di-
„ tioribus Chriftianis fignatæ, ad pauperum fide-
„ lium perfugium, & alimoniam, facrosque con-
ventus.

ventus. Vetustius hujus rei monumentum non invenio, quàm in epistolis Sancti Pii Primi Pontificis ad Justum Viennensem Episcopum, in quarum primà legitur: (Soror nostra Euprepia *Titulum* domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes Missas agimus). Cogebantur grassante Tyrannorum gladio fideles res suas, domosque relinquere, & profugi, ac latitantes ex ditiorum collectis eleemosynis, & in commune collatis clanculùm vivere; quod docuit S. Ambrosius in cap. 6. epist. ad Romanos, de Triphinà, & Triphosà laborantibus in Domino; inquit enim: (labor hic in exhortatione est, & in pressurà, & in egestate propter Christum, quia domus suas relinquebant fugati, & opprobrio erant infidis). Domus istæ pauperibus assignatæ, & hospitales ad fidelium perfugium aliquo signo notari necesse erat, ut à profugis cognoscerentur, nulloque magis apud eos venerabili, ac facili signo inscribi, vel indicari poterant, quàm appictà, vel incisà *Cruce*. Salutat Divus Paulus cap. 4. epist. ad Colossens. *Nimpham, & domesticam ejus Ecclesiam*; Divus Ambrosius domesticam illam interpretatus Ecclesiam, addit: (Nimpha tam devota videtur fuisse, ut omnis Domus ejus signo *titulata* esset *Crucis*), ità ad antiquum *Titulorum* morem respiciens.

Habentur to. 1. Biblioth. Sanct.

D. Ambros. in cap. 6. epist ad Rom.

D. Paulus cap. 4. epist. ad Colos.

D. Ambros. ibid.

Hujus generis facile est, *Titulum* fuisse à Pa-

store

„ store erectum, cujus idem Sanctus Pius meminit „ in secundà Epistolà, ubi inquit: [Presbyter Pa- „ stor *Titulum* condidit, & dignè in Dño obiit]. „ An hujus Pastoris *Titulus* idem sit cum *Titulo* „ à Pudente erecto nomine Pastoris, hæreo. Duos „ Hermas Pastores nuncupatos agnoscunt Viri do- „ cti, vetustiorem alterum Pudentis sub Pauli disci- „ plinà condiscipulum, alterum juniorem Sancti Pii „ Pontificis fratrem, de quibus videndus nuper edi- „ tus Labbeus in dissertatione de Scriptoribus Eccle- „ siasticis in Herma. De juniore loqui Pium cre- „ derem, dùm post ann. 162. ex computo Baronii „ obiisse certum est; senior verò uno ferè sæculo „ anteiret. Hunc tamen vetustiorem *Titulo* Pa- „ storis domum suam peregrinis, & pauperibus „ Christianis dedicavisse putarem, quemadmodùm „ legitur in adducto superiùs fragmento Actorum „ Sancti Pudentis, quæ à Pastore juniore scripta esse „ videntur. Quamquam enim *Titulum* à Pudente „ nomini suo dicatum fuisse, idem Pastor videatur „ asserere, ità verba explicarem, ut eidem nomini „ suo, hoc est Pastoris dedicatum esset, non illi. „ Neque difficile esset, *Titulum* habuisse nomen „ Pastoris ex signo priscis Christianis usitatissimo, „ quo Christum Servatorem nostrum indicabant „ figurà Pastoris ovem in humeris ferentem, & in „ re notà Lectores ad Aringhium amandamus in „ Romà Subterraneà, præsertìm lib. 6. cap. 18. „ *Titulum* equidem Pudentis, non Pastoris vocat Eccle-

Labb. in dissert. de Scriptor. Eccles. in Herma.

Baron. anno 164. nu. 24. tom. 2.

Aring. Rom. Subter. lib. 6. cap. 18. to 2.

„ Ecclesiam Sanctæ Potentianæ Anastasius Bibliothecarius in Vitâ Hadriani I. In hoc vetustiori Pastoris *Titulo*, propè Thermas Novati, vel propè dedicatam in eis Ecclesiam, Sanctus Pius Pontifex Baptisterium posuit, in quo etiam Sancti Stephani Papæ, ac Martyris tempore, Nemesius, ac Lucilla filia ejus, cum aliis promiscui sexus 62. Baptismum susceperunt, ut in Actis ejusdem Sancti Stephani legitur. In hoc etiam, vel alio proprii nominis *Titulo* Sancta Praxedes apud Baronium anno 164. [Multos Christianos occultabat in eodem *Titulo*, quos cibo pascebat]; ut hinc etiam pateat, *Titulos*, velutì Hospitales, sacrasque Domos fuisse, & ab Ecclesiis, dùm per mitiores persecutiones liceret, omninò diversos. In Ecclesiis quidem Deo dicatis consuetum cibum sumere, etiam Apostolorum ævo vetabatur; undè Divus Paulus Corinthios prohibuit in Ecclesiis manducare, quòd propriis domibus convesci magis honestum esset; sicùt in Ecclesiis mulieres tacere voluit, quod in propriis domibus non vetavit. Fateor, nedùm in *Titulis* ad pietatem, & religionem signatis, sed etiam in ipsis domibus Fidelium, Christianos pauperes tempore persecutionum convixisse, synaxes sacras exercuisse, & Missas celebrasse, quin etiam in latibulis, in cryptis, cœmeteriis, & arenariis sacra Mysteria persecisse. At quando licuit, ab Ecclesiâ *Tituli* discernebantur, sicutì privatæ domus ab Ecclesiis.

Anast. Bibl. in Hadr. I.

Baron. ut supra.

D. Paulus Epist. 1. ad Corint. c. 11.

„ Sancta Cyriaca, ut ex ejus Actis conftat, [cùm
„ fervor perfecutionis inftaret, domum fuam, quæ
„ erat in Cœlio monte, Militibus Chrifti, Sanctis
„ videlicèt, ad conveniendum, & Sacramentum
„ Domini conficiendum obtulit nullo timore per-
„ territa], ità legitur ex MS. Cod. Vallicellano
„ apud Aringh. lib. 4. cap. 16., quod explicat apud
„ Surium tom. 8. in vità S. Laurentii, dùm legitur,
„ quod [Cyriaca vidua in domo fuà multos habe-
„ bat Chriftianos, & Presbyteros, & Clericos ab-
„ fconfos]; & ipfe Sanctus Laurentius circuibat
„ cryptas, & domos, ut pauperibus Chriftianis de
„ thefauro Romanæ Ecclefiæ fubveniret.

MS. Cod. Vallic. apud Aring. Rom. Subter. lib. 4. cap. 16.

„ In *Titulis* etiam perfecutione furente celebrari
„ confueviffe, docet Sanctus Pius in adductà Epi-
„ ftolà de Euprepiæ *Titulo*. Clarum eft etiam ex
„ Vità Sancti Marcelli in Pontificali libro, quod
„ Lucina Matrona vidua fufcepit ex catabulo Bea-
„ tum Virum Marcellum, [quæ & domum fuam
„ nomine *Tituli* Beati Marcelli dedicavit, ubi die,
„ noctuque hymnis, & orationibus Domino Jefu
„ Chrifto confitebatur]; tunc enim, ut D. Chry-
„ foftomus affirmat orat. 33. in Matthæum, domus
„ erant Ecclefiæ: [Domus prifcis temporibus Ec-
„ clefiæ erant, nunc etiam ipfa Ecclefia in domum
„ redacta eft: nihil autem in privatà domo carnale
„ loquebantur, nihil nunc in Ecclefià fpirituale
„ memoratur]; quod tamen, nifi furentibus gladiis
„ conceffum erat.

D. Jo. Chryf. orat. 33. in Matth.

Sub

„ Sub Evaristo anno Christi circiter 112. *Tituli*, „ hoc est domus religioso usui mancipatæ, jàm multi „ erant, quos *in Urbe Romà* divisit Presbyteris. „ Ità *Tituli* in domos Presbyterales, ac velutì pa- „ ræcias primis etiam Ecclesiæ temporibus evade- „ bant. Id expressiùs S. Marcellus Papa præstitit, „ ut in ejus Vità in libro Pontificali legitur: [Vigin- „ tiquinque *Titulos* in Urbe Romà constituit, quasi „ Diœceses propter Baptismum, & pœnitentiam „ multorum, qui convertebantur ex Paganis, & „ propter Sepulturas Martyrum]; hinc videtur con- „ stare, propè *Titulos*, vel in ipsis *Titulis* fuisse „ Fontes Baptismales, quemadmodùm S. Pius Papa „ Baptisterium dedicavit in *Titulo* Pastoris, ut vi- „ dimus.

„ Ex *Titulis* etiam aliquos in publicum Fidelium „ usum erectos, ac dedicatos fuisse existimarem, qui „ ampliori nomine *Tituli Romani* vocarentur. Ità „ *Titulum* Pastoris nuncupatum S. Pius Pontifex „ *Titulum Romanum* vocavit in adductis Epistolis *Baronius anno 162. n. 2.* „ Pastoris, & Thimothei apud Baronium. Ità re- „ centiùs quinti sæculi initio Innocentius Papa I. „ [ex delegatione illustris fœminæ Vestinæ *Titu- „ lum Romanum* constituit], ut legitur in libro „ Pontificali, quod suàdet, minùs etiam solen- „ nes alios *Titulos* in Urbe Romà esse constru- „ ctos.

„ Annexos quidem hos Ecclesiis fuisse putarem, „ non tamen ipsas Ecclesias; quis enim crederet,

,, vivo alicui *Titulum*, tanquàm Ecclesiam inscri-
,, bi, & dedicari? & tamen legimus, Pudentem
,, Pastori viventi (nisi Christo Summo Pastori intel-
,, ligendum sit), *Titulum* dedicavisse; vidimus
,, etiam S. Lucinam Marcello Pontifici viventi,
,, & quod majus est, ex libro Pontificali constat,
,, S. Silvestrum sibi ipsi *Titulum* inscripsisse: [Eis-
,, dem temporibus constituit B. Silvester *Titulum*
,, suum in Regione Tertià, &c. *Titulum* scilicèt
,, Silvestri], quem, ut obiter dicam, diversum
,, fuisse à *Titulo* Equitii, ex eodem libro Ponti-
,, ficali convincitur, dùm diversa munera ibi refe-
,, runtur à Constantino tributa *Titulo* Silvestri, di-
,, versa *Titulo* Equitii.

Baronius anno 112. to. 2. Gretzer. de Cruce. D. Ambros. ut suprà.

,, Salutari *Crucis* signo *Titulos* à Christianis fuis-
,, se honestatos, Viris summis Baronio, & Gretzero
,, placuisse video, nosque etiam suprà ex Divo Am-
,, brosio indicavimus, sed insuper conjecturam no-
,, stram addidimus, à Fidelibus *Titulos* signari po-
,, tuisse Salvatoris ovem humeris ferentis imagine,
,, quemadmodùm sacra vasa, aliaque Ecclesiastica
,, utensilia ex Tertulliano, & aliis signari consue-
,, visse, educitur. Ecclesias *Crucibus* erectis, vel
,, pictis usitatius fuit dedicare, juxtà illud Ambrosii,
,, seu Maximi serm. 56.: [Ecclesia sine *Cruce* stare
,, non potest]; quinimò Theodosius Imperator
,, Cod. lib. 16. tit. 1. de Pagan. l. ult. mandavit,
,, ut si quæ adhùc Gentilium Templa restarent,
,, (collocato in iis venerandæ Christianæ Reli-
gionis

C. Theodos. l. ultimâ de Paganis.

„ gionis signo Divino cultui dicarentur). Invaluit „ tamen à priscà Ecclesià apud Fideles usus, ut „ non modò in Ecclesiis, & *Titulis*, sed antè pri- „ vatas Christianorum domus *Cruces* pingerentur, „ & iisdem objiciebat Julianus Apostata libro de „ Imagin. inquiens: [*Crucis* signum adoratis, ima- „ gines illius in fronte, & antè domos pingentes]; „ undè appositum tantùm *Crucis* signum *Titulos*, „ & Ecclesias à privatis domibus distinguere satis „ non poterat, ut necessè fuerit nomen etiam *Ti-* „ *tulis* apponere, nempè Pammachii, Vestinæ, „ Equitii, &c., & dedicatas Ecclesias etiam suis „ nominibus nuncupare.

„ Cùm ergò *Tituli*, saltèm initio, quid diver- „ sum ab Ecclesiis essent, & deindè neque omnes „ Ecclesiæ *Tituli* nomine dicerentur; consentaneum „ magis videtur, religiosas propriè domus fuisse, „ primùm quidem ad pauperes alendos, & Presby- „ teros in Fide, ac sacris Mysteriis roborandos, „ deindè ad Paræcias, sive Diœceses distinguendas. „ Ædes has presbyterales Ecclesiis contiguas, vel „ proximas extitisse necesse est, cùm in his unus, „ vel plures Presbyteri manerent, Parochi munus „ exercentes, prædiaque possidentes ad cultum, & „ victum assignata. Ità in libro Fœudorum tom. 6. „ agitur de rebus Ecclesiarum, quæ Episcopis, „ & Abbatibus subjiciuntur, & *Tituli* vocantur. „ Ità & Vestinæ *Titulus* in libro Pontificali jàm „ adducto videtur à Basilicà distingui, & domus

nuncu-

„ nuncupari, dùm additur [ex dispositione Vestinæ „ *Tituli* supradicti Presbyteris est concessa potestas]; Ecclesiasticus ergò *Titulus* sine Ecclesià „ non erat, sed non omnis Ecclesia *Titulus* dicebatur. Passìm enim in Vitis Pontificum occurrunt Ecclesiarum dedicationes, & Basilicarum „ constructiones, quæ *Tituli* non vocantur, & „ plura exempla sunt in unicà Hadriani I. Vità „ apud Anastasium Bibliothecarium, penès quem „ tamen Ecclesiæ, quæ *Titulum* habebant, cum „ ipso *Titulo* confunduntur]. Hæc Florentinus.

Anastas. in Hadriano I.

CAPUT IV.

Quid censendum sit, Presbyterorum Cardinalium Titulos *fuisse.*

VErùm nos eam, quæ inter has eruditissimorum hominum selectissimas opiniones hæret animo, sententiam; Lectori nostro subducendam minimè arbitramur; nàm licèt ipsam haud conferendam esse cùm illis ultrò fateamur, cùm tamen eas in dubiis versari agnoverimus, inter multiplices ambiguitates, quid potissimùm sentiendum excogitavimus, exhibere incongruum non censemus.

Bar. an. 112. Franc. Albit. ut supra. Petr. Frizon. ut supra.

Eminentissimis siquidem Baronio, & Albitio, eorumque Sectatori Frizonio, & aliis assentiri non possumus in eo, quod proferunt, nimirùm *Titulos* haud

haud aliud fuisse, quàm domos Divino cultui mancipatas, in quibus Christiani synaxes agere consueverant; nàm præterquamquod *Titulus* quadrupliciter dicitur, quatuorque res significat: Primò videlicèt *titulum*, sive inscriptionem rei, ut *titulus* libri, *titulus Crucis*; secundò columnam, aut pyramidem, vel quid simile in trophæum victoriæ, aut insignis facinoris erectum; tertiò statuam, vel imaginem, erectam ad cultum, & adorationem, qui *tituli*, utpotè prophanis Diis addicti prohibebantur Levit. 26. 1.; & quartò lignum, lapidem, vel aliud positum, vel erectum in memoriam, & indicium rei alicujus; quapropter difficilè æstimare sit, quidnàm nomenclatura *Tituli* apud veteres Fideles significaret. Ex eà insuper Sancti Pii I., quam Baronius profert, Epistolà patenter elicitur, præter sacra, quæ in *Titulis* peragebantur, in alios etiam usus loca à priscis Fidelibus destinata fuisse; dicit enim: [Antequàm Romà exiisses, soror nostra Eu-„ prepia (sicut benè recordaris) *Titulum domus* „ *suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum paupe-* „ *ribus nostris commorantes, Missas agimus*]; ex quibus verbis apertè deducitur, quod præter Ecclesiam ad Divina perficienda Mysteria, Pius & pauperes Fideles confugium, & hospitium in *Titulis* repererint; undè etiam inferre necesse sit, *Tituli* vocabulum solis primævis Christiani cultus Ecclesiis Baronium, ejusque Sectatores immeritò tribuisse, dùm ex ipso, quem afferunt, teste *Tituli*

Cornelius à Lapide in cap. 28. Gen. pag. 230. n. 1.

Levit. 26.

Baronius ut supra.

Tituli aliis dicati usibus agnoscuntur.

Ex hoc tamen non sequitur id, quod omni conatu Florentinus suadere nititur, nempè *Titulos* quid diversum ab Ecclesiis extitisse; nàm ex allatà Pii auctoritate apparet, in ipsis *Titulis*, in quibus Christiani pauperes hospitalem domum habebant, Ecclesiam quoque fuisse, in qua Sacrosanctum Missæ Mysterium celebrabatur; quapropter eodem irrefragabili testimonio suffulti nec Baronio, Gretzero, Albitio, aliisque adhærentes, qui *Titulos* Ecclesias dumtaxàt fuisse existimarunt, & Florentinum rejicientes, qui *Titulos*, nil nisi ædes ad excipiendos Fideles pauperes, ab Ecclesiis sejunctas extitisse credidit; opinamur, haud aliud fuisse *Titulos*, quàm prædivitum quorundam Christianorum domus, in quibus Fideles congregabantur, & ad sacra facienda, & si egestate premebantur, ad victui quoque necessaria recipienda; & in quibus demùm hospitio excipiebantur, cùm proprias domos non haberent, vel ab eis à sævientibus persecutoribus eliminati fuissent; quæ nempè domus, nomine, & *titulo* eorundem divitum notabantur, non verò Sanctorum, aut *Crucis*, ut ipsæ Gentiles laterent, easdemque eodem tempore Christiani cognoscerent; undè & Hospitia egenis, & Ecclesiæ piis evadebant, quia nimirùm in illis & Ecclesiæ erant, & abdita hospitia, in quibus corpora fovebantur, & sacris Mysteriis, & verbo Dei Animæ saginabantur.

Eodem siquidem modo, quo nunc in Infidelium,

lium, & Hæreticorum quibusdam Regionibus Orthodoxi ſeſe gerunt, primos quoque Fideles ſe habuiſſe cenſendum eſt. Sicùt enim his Eccleſias publicè conſtruere, easque evidenti ſalutifero *Crucis* vexillo inſignire vetitum, uti etiam hoſpitalibus ædibus publicè perfrui prohibitum eſt, qui tamen in ſingularibus, & præcipuis quibusdam domibus occultas habere Eccleſias, in iisdemque Fideles pauperes, & advenas hoſpitari non inhibentur, & eæ domus non ab Eccleſiis, quas intrinſecùs habent, neque ab advenis, & pauperibus, qui in ipſis immorantur, neque demùm à *Crucis Titulo*, ſed à dominis, & poſſeſſoribus nomenclaturam accipiunt; ità ſanè priſcis accidiſſe temporibus non irrationabiliter exiſtimandum videtur; non fuiſſe ſcilicèt *Titulos*, niſi occultas Eccleſias in domibus, & domus, ſimùl & Chriſtianorum Eccleſias, in quibus & ſacra peragerentur, & hoſpitio profugi, & pauperes Chriſtiani exciperentur, quibus non aliundè, quàm à dominis, & poſſeſſoribus *Titulus*, & nomen apponebatur, non verò Eccleſias tantùm, ut Baronius, & alii putarunt, vel domus dumtaxàt, ut Florentinus excogitavit.

CAPUT V.

Baronii, Albitii, & Gretzeri opiniones de Titulis *refelluntur.*

AT quia, à rebus Fifcalibus acceptâ nomenclaturâ, *Domus* Fidelium in facrum ufum converfæ, quas *Ecclefias* dicimus, ideò *Tituli* nuncupatæ à Baronio, Albitio, Gretzero, & aliis putantur, quòd *Crucis vexillo* notatæ fuerint; idcircò brevitèr perquirendum, an cuncta ea loca, vel ædes, quæ eodem falutifero figno decoratæ erant, in facras, vel in *Ecclefias* fuerint commutatæ, undè potiffimùm eis *Tituli* nomen inditum extiterit; & ne longè contrà præfatos eruditiffimos Scriptores argumenta emendicare cogamur, Gretzeri ipfius verba ponamus, qui in lib. 2. de Sanctâ *Cruce* hæc literis mandavit:

„ [Inter cætera, quæ *Crucis* gloriam teftantur,
„ nominat S. Chryfoftomus domos (*Crucem*, in-
„ quit, ubiquè celebrari videre licet, in domibus,
„ in foro, in folitudine, in viis &c.); Domus igitur
„ *Crucibus* olìm ornatæ, & munitæ funt, ut non
„ immeritò ab Andrea Cretæ Archiepifcopo *Crux*
„ fit appellata *Tutela domorum*. Exempla non
„ pauca pafsìm occurrent antiquorum monumen-
„ ta evolventi. Nobis fat erit commemorare id,
„ quod de Alexandrinis Ruffinus literis prodidit;

Jacob. Gretzer. de Cruce Chrift. tom. 1. lib. 2. cap. 22. pag. 377.

S. Jo. Chryfoftomus quod Chriftus fit Deus &c.

Andr. Cretenf. Homil. de exaltat. Crucis.

qui

„ qui abrasis ex domiciliis suis Thoracibus Serapidis,
„ in eorum locum *Cruces* substituerunt insigni pietatis argumento: (Thoraces Serapidis, inquit
„ Ruffinus, qui per singulas quasque domos in parietibus, in ingressibus, in postibus etiam, ac
„ fenestris erant, ità abscissi sunt omnes, & abrasi,
„ ut ne vestigium quidèm usquàm, vel nominis
„ appellatio, aut ipsius, aut cujuslibet alterius Dæmonis remaneret; sed pro his *Crucis* Dominicæ
„ signum unusquisque in postibus, in ingressibus,
„ in fenestris, in parietibus, in columnis depingeret); erant autem *Thoraces Serapidis* imagines
„ Serapidis, caput, eamquè partem corporis repræsentantes, quæ propriè *Thorax* dicitur. Ea est
„ ab humeris, usquè ad coxendices, ut alibì ex Polluce dicemus], & infrà.

Ruffin. lib. 2. histor. Eccles. cap. 29.

„ [Sribit B. Nilus ad Olympiodorum Proconsulem, optare se, ut in cujusvis domus singulis
„ habitationibus statuatur imago *Crucis*, ut memoria Crucifixi semper recens in mortalium animis vigeat; ob hunc enim, & alios fines Christum, Christique cruciatus in Ecclesiis, in ædibus,
„ in plateis, in tabulis, in linteis, in cubilibus, in
„ palliis effingimus, pingimusquè, ait apud Damascenum B. Leontius Episcopus].

D. Nilus in epistol. ad Olympiod. cit. in 7. Synod. Act. 4.

D. Jo. Damasc. orat. 3. de Imagin.

Hoc idem disertissimo confirmat sermone insignis ipse Scriptor paulò post, ostendens, non tantùm privatas domos, sed fontes etiam, januas, terminos, aliaquè loca Idololatriæ, vel polluta veneficiis,

Gretser. ut suprà c. 24.

ciis, vel Dæmoniis infeſta, erectà *Cruce* veteres Fideles expiare conſueviſſe; immò tutelæ locum in Chriſtianorum navibus *Crucem* fuiſſe demonſtrat, poſtquàm docuit, Ethnicos ſingulis navibus inſignia quædam de more addidiſſe, quæ Tutelæ nuncupabantur; quod probat ex S. Paulino, qui cùm Nicetam Dacorum Epiſcopum ex Italià domum redeuntem fauſtis omnibus proſequeretur, inter alia hæc cecinit;

Ibid. cap. 26.

[*Et rate armatà* Titulo *ſalutis*
Victor antennà Crucis *ibis undis*,
Tutus & Auſtris].

D. Paulin. in Carm. in reditum Nicetæ.

Licèt enim morem hunc cunctis ferè in locis ſalutiferum *Crucis* vexillum erigendi, poſt Conſtantinum inoleviſſe tantùm cenſendum ſit; tamen à majoribus minimè fideles illum accepiſſe rationabilitèr excogitari nequit, cùm potiſſimùm ex his, quæ idem Gretzerus inferiùs affert, liquidò appareat, tempore exagitatæ à furentibus perſecutoribus Eccleſiæ, tanquam tutiſſimo præſidio Fideles ipſos ſalutifero eodem ſigno ſe muniiſſe. Cùm enim ex Actis ſecundi Concilii Nicæni, & ex Nicephoro habeatur, invictiſſimum Martyrem Procopium, ſeù Neaniam ſibi Scythopoli ab aurifabro quodam *Crucem*, quam ex collo ſuſpenſam ferret, ex argento, & auro fieri curaſſe, ſæviente nempè Diocletiani perſecutione; & ſub eodem Principe *Crucem* item auream in pectore geſſiſſe Oreſtes Chriſtianus miles legatur; quis ambigere poterit, Fideles ſalutare idem ſignum

Conc. 2. Nicæn. Act. 4. Niceph. lib. 7. cap. 15. Acta apud Suriū extans to. 4. 8. Julii.

S. Oreſt. in vit. S. Euſtratii, & Socior. 13. Dec. Sur. to. 6.

signum in privatis suis ædibus evexisse, dum absquè eo Christianæ Religionis vexillo nec vellent incedere?

Nec obstat, quod Baronius, & Albitius afferunt, nimirùm fuisse apud Christianos *Titulum*, quo *domus* aliqua divino cultui manciparetur, Vexillum *Crucis*, ex iis posse intelligi, quæ Theodosius Imperator edicto præcepit, ut Delubra videlicèt Gentilium Christianæ Religionis cultui manciparentur, collocato in eis venerandæ Christianæ Religionis signo, nempè *Cruce*; eàquè ratione, quòd eàdem censerentur res dicatæ esse Religioni, Leonem Imperatorem, ne signum *Crucis* inferretur *in loca publica*, quæ gratià voluptatis popularis essent erecta, lege prohibuisse; quo deindè ex more emanasse constitutiones inhibentes, ne quis ædificaret *Ecclesiam*, nisi priùs Civitatis Episcopus veniret, ibiquè *Crucem* figeret: Hæc, inquam, non obstant, quia & nos non alio, quàm *Crucis* signo res Deo sacras prænotatas fuisse fatemur, nec altero, quàm *Crucis* vexillo cultui divino mancipata *loca* significata fuisse asserimus; sed quod denegamus, est, cuncta *loca* eodem signo notata divino cultui dicata fuisse, censendum esse, & in *Ecclesias* conversa; & *Ecclesias* deindè ipsas, ex *Titulo Crucis*, *Titulorum* sibi vocabulum usurpasse; nam ex dictis elicitur, non modò *Ecclesias*, sed & privatas quoquè Fidelium ædes; & insupèr fontes, januas, columnas, naves eodem *Titulo* decoratas fuisse, qui tamen *Titulus* iisdem suum

Baron. ut suprà.

Albit. ut sup.

suum *Bituli* nomen non impertitus fuisse dignoscitur.

Vide ut sup.

Lex verò illa Leonis Imperatoris, qua vetuit, „ [ne Monachi, aut quicumque alii cujusque status, „ atquè fortunæ in ædes publicas, vel in quæcum„ que loca populi voluptatibus fabricata *Venerabi*„ *lem Crucem*, & *Sanctorum Martyrum Reli*„ *quias* illicitè inferre conarentur, vel ea occupare „ auderent, quæ ad publicas causas, vel ad populi „ oblectamenta extructa erant], ex qua inferre videtur Baronius, id prohibere voluisse Leonem, ne *loca* eadem præfixo in eis salutifero *Crucis* signo *Ecclesiæ* evaderent; minimè sic intelligenda deprehenditur: quis enim Leonis Imperatoris ævo, qui nempè anno Domini 474. decessit, vel post, cuncta loca, in quibus *Crucis* vexillum evectum colebatur, *Ecclesias* evasisse ritè poterit judicare? Nonnè à Christianissimis Imperatoribus Constantino Magno, Theodosio, & aliis antè Leonem, tanquam Redemptionis nostræ trophæum, ubiquè *Crucis* signum infixum fuit? Id in Constantino testatur Eusebius,

Euseb orat. de laud. Constantin.

„ [Isti (nempè *Cruci*), inquiens, deniquè cumula„ tam omnium bonorum, quibus fruimur, exple„ tionem acceptam referens Imperator, columellas „ triumphales, quibus illius decus illustraretur, „ ubique terrarum collocavit], & D. Jo. Chryso-

D. Jo. Chrys. de ador. pret. Cruc. serm. 1. & 2. tom. 1. pag. 625., & seq.

„ stomus idipsum confirmans, ait: [Ut enim pleri„ què milites sine armis nec prandent, nec dor„ miunt; sic nunc pro gladio eam in lecto suspendamus,

„ mus, pro repagulo in ostio depingamus, pro mu„ ro, & pariete omni domui circumdemus, partes „ intimas, & extimas hac muniamus]; ex quibus irrefragabilibus testibus evidentèr educitur, Deo sacra Leonis ævo haud existimari potuisse *loca* omnia, in quibus *Crucis* signum infixum visebatur.

Quid igitur eà lege sancire voluerit Leo Imperator, melius intellexisse (licèt contrà id, quod alibì adstruxerat) Gretzerus videtur; dicit enim de ipsà „ disserens: [Balsamon de *Crucibus* in vià erectis, „ hæc habet (Sanctæ imagines, & *Cruces* in publi„ cis viis à volente eriguntur; & nos quidem pro„ pter Deum, & puram erga ejus Sanctos fidem, „ Sancta ejusmodi ubicumquè erecta adoramus, & „ salutamus), nec prohibuit Leo Imperator *Cruces* „ in publicis, & prophanis locis erigi, ut quidam „ velle videntur; sed tantùm sanxit, ne in loca pu„ blica, quæ vel ad publicas causas, vel ad populi „ oblectamenta sunt constructa, inferatur signum „ *Crucis*, animo ea occupandi, Deoque dedicandi, „ & communi usui eripiendi. Sic Justinianus Im„ perator non vetuit, quo minùs ubiquè etiam in „ viis, & biviis *Cruces* statuerentur, sed ne illæ „ *Cruces*, quæ in Litaniis, & supplicationibus præ„ feruntur, alibì quàm in locis sacris reponantur]. Hæc Gretzerus.

Jacob. Gretzer. de Cruc. lib.2 cap.25.

Balsam. in can. 73. Synod. 6. in Trullo.

At nos altiùs legis ejusmodi verba discutientes, nil contrà nostram assertionem, ipsam statuisse affirmamus. Inhibuit illa siquidèm, ne occuparentur,

quæ

quæ ad publicas causas, vel ad populi oblectamenta erecta erant *loca*, & certè, ut vult Baronius, *Ecclesiarum*, seù *Basilicarum* constructione: verùm hanc occupationem, vel in sacrum usum conversionem haud per solam *Crucem* fieri significavit, sed per ipsam *Crucem* simul, & Sanctorum Martyrum *Reliquias*, sine quibus, ut suprà ostendimus, Basilicam construere non licebat; quapropter sicut dicendum est, antiquitùs *Basilicas* excitare non licuisse, nisi ubi fuissent Martyrum *Reliquiæ*, vel aliquid aliud, quod ad Martyres pertinuisset; ità fateri necesse est, Leonis eam legem *Basilicas in locis publicis* dicari vetasse, non ex eo tantùm, quòd in illis *Crucem* defigere prohiberet, sed ex eo insupèr, quòd in ipsa Sanctorum Martyrum *Reliquias*, sine quibus *Basilica* extrui non poterat, illicitè inferri vetaret; ex quibus meritò deindè etiam deducitur, quod sicut ad *Basilicam* construendam sola *Crucis* erectio non sufficiebat, sed ad hoc ut in sacrum usum locus converteretur, etiam Martyrum exposcebantur *Reliquiæ* (ab Ecclesiis in genere ad Martyrum Basilicas in specie sermonem convertimus, quia Leonis lex de Martyrum *Reliquiis agit*); ità etiam *Crucis* tantùm Vexillum, seu *Titulus Basilicis Tituli* nomen haud tribuere potuerit, cùm *Basilicas* easdem sola *Crux* in sacrum usum commutare nequiret; & per consequens à *Titulo Crucis Ecclesias*, seù *Basilicas Titulos* dictas, non ritè pronuncietur.

Verùm eàdem pari ratione, qua *Crucis* Ve-

xillo

xillo insignitas ædes omnes, *Ecclesias* fuisse existimandum non est, undè non æquè ex eo salutifero *Titulo*, ipsas *Titulos* fuisse dictas demonstravimus; sic etiam *Titulos* in Urbe Romà constitutos, nascentis Ecclesiæ initio, dum persecutionis rabies desæviret, contrà Albitium, à Sanctorum Martyrum nomine *Ecclesias* fuisse nuncupatas, profectò denegamus. Fatemur siquidèm, Martyrum memorias, & Basilicas (sivè quia ad fores earum Vela quædam suspendebantur, in quibus depingebantur eorundem Martyrum imagines, & Nomina, quæ *Tituli* vocabantur, sivè quia Tabellæ quædam affigebantur cum inscriptione nominum ipsorum Sanctorum, quæ *Tituli* dicebantur), *Titulos* appellatas fuisse; & insupèr, redditâ Ecclesiæ pace, in ipsà Urbe Romà *Titulos* ex Sanctorum Martyrum Basilicis nomenclaturam sumpsisse: at ex hoc tamen *Titulos*, quos Presbyteris in Urbe eàdem Evaristus, & alii post eum Pontifices tempore persecutionis tradiderunt, *Ecclesias*, seù *Basilicas* tantùm extitisse, minimè infertur; cùm enim constet, ut inferiùs ostendetur, Romanos *Titulos* à Sanctis Pontificibus Presbyteris commissos, non alibì, quàm intrà Urbis mœnia fuisse, quis non videt, Martyrum *Titulos* aliud distinctum fuisse à *Titulis* Romanis, de quibus est sermo?

(*Parte aliâ* Titulum Pauli *via servat Ostiensis*) inquit Prudentius in hymno 12.; erat *Titulus Pauli*, ubi & Basilica Pauli, nempè Viâ Ostiensi extrà Urbem; *Prudentius hym. 12.*

Urbem; & tamen hic Pauli præ cæteris venerandus *Titulus*, nunquàm fuit Romani Presbyteri *Titulus*, aut inter Romanos *Titulos* recensitus: sed cur? nisi quia aliud Martyrum, & Apostolorum *Tituli* erant, qui videlicèt ipsorum dumtaxàt Memorias, & Basilicas significabant; aliud verò Romani *Tituli*, qui præter Basilicas aliis etiam usibus deserviebant, ubi *Domus* simùl, & *Ecclesia* Fidelibus constituebantur. Poterant quidem Fideles in Pauli *Titulo*, debacchante persecutionis furore, clàm Deo vacare, & sacra facere; nequaquam verò in eodem consultò suscipi, ut victui, & aliis eorum corporis necessitatibus aptè consuleretur. Iccircò cum Summi Pontifices ferventissimà charitate flagrantes, animabus simùl, & Fidelium corporibus succurrere vellent, non longè ab Urbe, sed intrà Urbis mœnia *Titulos* statuerunt, in quibus non *Ecclesias* tantùm haberent, sed hospitium quoquè, & receptaculum reperirent; undè & *Domus*, & *Ecclesia* essent, immò *Ecclesia* in *domo*, ut suprà diximus.

Titulum insupèr *Ecclesiam* dictam esse laudatissimus Baronius excogitavit ex eo, quòd qui Ecclesiæ Presbyter adscriberetur, ab eà nomen, *titulumque* acciperet; at nos posterioribus temporibus, quibus & à Sanctis, in quorum honorem publicè dicatæ fuerunt Basilicæ, Presbyteri Cardinales sibi nomen, *titulumque* vindicarunt, id potiùs accidisse ducimus: primo tempore verò, cùm in Ecclesiam Tyrannorum sævitià grassante, nec Presbyteri à *Titulis* nuncupari

cupari, nec *Ecclesiæ* in *Domibus* clàm constitutæ à Sanctis appellari possent, à Domorum, in quibus erant Ecclesiæ, Dominis, & Possessoribus, ut ex. gr. à Pammachio, à Pastore, à Fasciola &c., acceptà nomenclaturà ad fiscalium *Titulorum* similitudinem, *Tituli* nomen exortum esse potiùs existimamus.

Tandem nullo modo nostræ huic sententiæ opposita, quæ in gestis Synodi Romanæ sub Magno Gregorio habentur, censenda sunt; in ipsà enim statutum est, quod sequitur: [Consuetudo nova in „ Ecclesià hac, & valdè reprehensibilis erupit, ut „ cùm Rectores ejus patrimonii urbana, vel rustica „ prædia juri illius competere posse suspicantur, „ fiscali more *Titulos* imprimant, atque hoc, quod „ competere pauperibus æstimant, non judicio, sed „ manibus defendant. Et cùm per Prædicatores „ suos veritas dicat: nihil per contentionem; etiam „ ipsum litigiosæ contentionis malum transcendunt, „ & res quælibet, cùm æstimatur Ecclesiæ posse „ competere, per vim tenetur. Proindè præsenti „ Decreto constituto, ut si quis Ecclesiasticorum „ unquàm *Titulos* ponere, sivè in rustico, sivè in „ urbano prædio suà spontè præsumpserit, anathema sit; & responderunt omnes: Anathema sit. „ Is autem, qui Ecclesiæ præest, si hoc vel ipse fieri „ præceperit, vel sinè suà præceptione factum, dignà punire animadversione neglexerit, anathema „ sit; & responderunt omnes: Anathema sit];

Apud D. Gregor. in Regist. epistol. l. 4. indiction 13. ep. 44 p. 142. tom. 4.

Philipp. 2.

 hæc,

hæc, inquam, Decreta opinationem nostram nullatenùs sternunt, nàm ipsis vetitum non fuit, [hujus-
„ modi *Titulos* imponi Ecclesiasticis rebus à Gre-
„ gorio, utpotè ab eo, qui sciret, *Titulos* Ecclesia-
„ sticos longè à Fiscalibus diversos esse debere],
ut dixit Baronius; sed tantùm cautum est, nè vio-
Baron. anno 212. lenter, & sine judicio *Tituli* imprimerentur; cùm sub pietatis, & Ecclesiastici juris specie, eò impietatis pervenisset Rectorum avaritia, ut id quod competere pauperibus æstimarent, manibus defenderent, & ipsum etiam litigiosæ contentionis malum transcendentes, rem quamlibet, cùm æstimarent Ecclesiæ posse competere, per vim tenerent; quapropter ad tam grave malum avertendum, non omninò *Titulos* imponi, sed inconsultò, & pro cujusvis arbitrio poni prohibitum fuit.

Et hanc esse germanam tùm Romanæ Synodi, tùm verborum Gregorii interpretationem, apertè percipitur ex ejusdem Gregorii Epistolà ad Anthe-
D. Gregor. ut sup. lib. I. ep. 63. p. 33. tom 5. mium Subdiaconum, ad quem hæc scripsit: [Sicut
„ res ad jus Ecclesiæ pertinentes amittere non de-
„ bemus, ità alienas appetere incivile esse nihilomi-
„ nùs judicamus; & quoniàm edocti sumus, do-
„ mum Petronii Notarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ,
„ cui Deo auctore præsidemus, à Constantio tunc
„ defensore *irrationabiliter Titulatam*, experien-
„ tiæ tuæ præsentis præcepti paginà demandamus,
„ ut omni excusatione, vel dilatione omissà, depo-
„ sito *Titulo*, eandem domum præsentium latrici

Theo-

„ Theodoræ relictæ antedicti Petronii sine morâ
„ restituas; nè, quod absit, viduis indè præjudi-
„ cium oriatur, undè consolationis debent invenire
„ solatium].

CAPUT VI.

Florentini de Titulis *sententia reprobatur.*

SIcut autem eam sententiam rejecimus, quæ *Titulos Ecclesias*, seu *Basilicas* tantùm fuisse statuit, ità pari modo alteram etiam reprobamus Florentini, qui *Titulos* non *Ecclesias*, sed quasdam hospitales *domos* extitisse putavit. Secùm ipse siquidem pugnare deprehenditur, cùm, postquàm Baronium, & Gretzerum redarguerit, quòd *Titulum* cum *Ecclesiâ* miscere visi sint, primos Apostolicos viros, à quibus primi Christiani didicerunt; *Tituli* nomen eo potiùs sensu usurpavisse, credendum esse dicit, quo in sacris literis expressum, & usitatum viderint, quàm quo Gentiles, & Ethnici usi sunt; deindè ostendens, quid *Tituli* in sacris literis significarent, subdit: [Erat igitur *Titulus* in lege veteri lapis, vel tumulus in fastigium erectus ad indicandum prætereuntibus, locum esse vel Deo, vel memoriæ alicujus rei gestæ, vel illustris personæ dicatum. Initio nascentis Christianæ legis, dùm Euangelica paupertas, & humilitas vulgabatur, vix *Titulos* alios erectos existi-

Florent. ut supra.

„ exiftimarem, quàm in opus Religionis, vel ad „ Ecclefiam mox conftruendam, Deoque dicandam, „ vel ad conventum in fignatà domo convocan- „ dum, vel ad alicujus Sancti viri defuncti memo- „ riam]; verùm fi (ut hìc dicit) vix *Titulos* alios erectos exiftimavit, quàm in opus Religionis, vel ad Ecclefiam conftruendam, Deoque dicandam, vel ad conventum in fignatà domo convocandum, vel ad alicujus Sancti memoriam; in quo quæfo Baronium, aliosque erraffe cognovit, qui nimirùm ad Ecclefias fignificandas pofitos *Titulos* afferuerunt, Sanctorumque memorias, æquè ac ipfe, *Titulos* nuncupatas fuiffe ftatuerunt? In eo forfitàn, quòd à Fifcalibus *Titulis*, non verò à facris literis nomenclaturam defumptam exiftimaverint? At hæc quæftio nominis tantùm; nàm pofito etiam, quod *Tituli* Chriftiani non à Fifcalibus vocabulum acceperint, fed à facris, ex hoc tamen quomodò ab ipfo infertur, quod malè præfati Auctores confuderint *Ecclefias* cum *Titulis*, dùm in facris Scripturis *Titulos* Templa fignificaffe, vel infignium defunctorum virorum memorias indicaffe ipfemet adftruit, & *Titulos* à prifcis Chriftianis non nifi ad dedicandas Ecclefias, juxtà veteris facræ legis monumenta, pofitos, fuiffe fatetur?

At rem libet accuratiùs expendere; cùm enim ex facræ Scripturæ, quos affert, textibus, infignis hic Scriptor fe elicuiffe jactet, *Tituli* nomen à primis Chriftianis è facris paginis defumptum, & fignatis

gnatis aptatum domibus, oportet omnia, quæ ex ipsis Scripturis testimonia affert, in medium proferre: [Pro veræ pietatis signo (inquit igitur) Jacob *Florent. ut supra.*
„ Patriarcha Genes. 28. tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in *Titulum*, fundens oleum desuper; ità vovens Altare Deo, quod alio tempore ædificavit, & Domum Dei dixit, ut patet ex ejusdem Genes. cap. 31. & 35. *Titulum* pariter lapideum, quando eum Dominus vocavit Israel, erexit Jacob in loco, quo locutus fuerat ei Deus. Sacros duodecim *Titulos* erexit Moyses Exod. cap. 24. pro duodecim Tribus Israel, cùm ad radices Montis ædificavit Altare, quod ibi palàm differt à *Titulis*. Ethnicos pro falsà Religione *Titulos* etiam erexisse patet ex Num. cap. 3., mandavit enim Deus Israelitis intrantibus terram Chanaan, ut eorum confringerent *Titulos*, & Statuas; & 26. Levitici eisdem verbis, nè sibi facerent Idolum, & sculptile, aut erigerent *Titulos*. Non tamen semper fuerunt *Tituli* signum rei Deo, aut Idolis devotæ, sed monumentum etiam indicabant alicujus memorabilis facti, aut defuncti hominis; ità idem Jacob Genes. 31. tulit lapidem, & erexit *Titulum* initi fœderis cum socero Labano, & mortuà Rachele uxore *Titulum* super ejus sepulcrum erexit, de quo his verbis sacra pagina testatur: (Hic est *Titulus* monumenti Rachel usque in præsentem diem). Sed Absalon Davidis Regis filius 2. Reg. cap. 18.

Genes. c. 28. *Genes. c. 31. & 35.* *Exod. c. 24.* *Num. cap. 3.* *Levit. 26.* *Genes. c. 31.* *2. Reg. c. 18.*

„ cap. 18. erexit sibi *Titulum* monumentum nomi-
„ nis sui, [& vocavit *Titulum* nomine suo].
„ Quemadmodùm verò Absalon *Titulum* suum
„ vocavit Manus Absalon, ità & Jacob primum,
„ quod erexit, Domum Dei inscripsit].

Hæc profert Florentinus Scripturarum testimonia, ut adstruat, juxtà ipsarum exemplar, *Tituli* nomen à priscis Christianis acceptum, & signatis *domibus* attributum. At in quonam allatorum locorum reperit quæso vir eruditissimus, *Tituli* vocabulo nuncupatas fuisse *domos*? In signum veræ pietatis, pro Altari Deo dicato, pro delubris Idolis sacris, pro monumento memorabilis facti, & defuncti hominis erectos fuisse *Titulos* Scriptura testatur; ex quo igitur ejusdem sacræ paginæ testimonio ritè coarguere potuit Baronium, & alios, quòd *Tituli* nomen *Ecclesiis*, aut sacris *Basilicis* aptaverint; cùm ex ipsà, & Altaria, & loca alia Deo sacra, & falsa Idolorum delubra, nec non spectatissimorum hominum vità functorum monumenta, hoc appellata nomine cognoscantur?

Neque etiam tam irrefragabilis ipsiusmet apparet sententia de *Titulis*, pro duodecim Tribus Israel à Moyse erectis, quos nimirùm quid distinctum fuisse asserit ab Altari ab ipsomet constructo; tàm irrefragabilis, inquàm, non dignoscitur, ut huic opposita doctissimorum virorum sit omninò posthabenda interpretatio; [& mane consurgens, *Exod. 24.*
„ (ait divinus sermo de Moyse loquens), ædificavit

Altare

„ Altare ad radices Montis, & duodecim *Titulos* „ per duodecim Tribus Iſrael]; nàm Abulenſis, & Cajetanus, Cornelio à Lapide teſte, ex duodecim hiſce lapidibus ipſum Altare fuiſſe conſtructum probabiliter putarunt. Deindè cùm dicit, *Titulos* furente perſecutione fuiſſe ***domos*** ad ſacros conventus deſignatas, idque Pii I. auctoritate confirmat, nonnè manifeſtè contra ſe pugnat, dùm ex ipſomet Pio conſtat, in iisdem *Titulis Eccleſias* fuiſſe, in quibus & ipſe Miſſas agebat, & ad ſacra facienda alii quoque Chriſtiani convenire ſolebant; undè non immeritò *Titulos* Baronius *Eccleſiarum* vocabulo nuncupaſſe deprehenditur, licèt *Tituli*, non *Eccleſiæ* tantùm, ſed *Domus* ſimùl & *Eccleſiæ* ex ipsâ Pii Epiſtolâ, Fidelibus extitiſſe cognoſcantur?

Cornelius à Lapid. comm. in cap. 24. Exod. verſ. 4.

„ [*Domus* iſtæ (ſequitur Florentinus) pauperibus „ aſſignatæ, & hoſpitales ad Fidelium perfugium „ aliquo ſigno notari neceſſe erat, ut à profugis co„ gnoſcerentur, nulloque magis apud eos venera„ bili, ac facili ſigno inſcribi, vel indicari poterant, „ quàm appictâ, vel incisâ *Cruce*. Salutat D. Pau„ lus cap. 4. Epiſt. ad Coloſſen. (Nimpham, & „ *domeſticam ejus Eccleſiam*); D. Ambroſius *do*„ *meſticam* illam interpretatus *Eccleſiam*, addit: „ (Nimpha tam devota videtur fuiſſe, ut omnis „ *Domus* ejus ſigno *titulata* eſſet *Crucis*), ità ad „ antiquum *Titulorum* morem reſpiciens]. Verùm ſi, ut ſuprà diximus, non tantùm Eccleſiis, aut locis quoquo modo Deo ſacris, ſed paſsìm etiam & privatis

Florentinus ut ſupra.

D. Paulus Epiſt. ad Coloſſ. cap. 4.

vatis Chriftianorum ædibus, & januis *Crucem* imprimere Fideles confueverunt; non eft certè, undè afferatur, hofpitales eorundem *domos*, fignanter *Titulos*, ex *Crucis Titulo*, appellatas fuiffe, cùm hoc eodem *Titulo* ædes aliæ etiam decorarentur. Deindè vel externum erat *Domibus* hoc fignum, quo notabantur, vel internum; fi internum, à profugis videri nequibat; fi verò externum, ab Ethnicis perfecutoribus facilè detegi poterat; undè omninò inverifimile eft, Fideles fua prænotaffe loca figno appictæ, vel incifæ *Crucis*, à quo proderentur. Ex eo autem, quod Paulus *falutat Nimpham*, & *domefticam ejus Ecclefiam*, & ex interpretatione *domefticæ* illius *Ecclefiæ*, quam Scriptor idem ex Ambrofio profert, quo pacto educit ipfemet, vel *Titulos* non fuiffe *Ecclefias*, fed *Domos*, vel *Domos* nifi *Titulo Crucis* prænotatas extitiffe? Si enim Apoftolus falutat *domefticam Ecclefiam* Nimphæ, & hæc *domeftica Ecclefia* nil nifi ejusdem *Domus* erat figno *Crucis titulata*, & per confequens *Titulus*, ergò fi meritò *Tituli* ab Ambrofio dicuntur *Domus*, quomodò improbè *Ecclefiæ* quoque *Tituli* nuncupati pronunciantur, cùm easdem *Domus*, & *Titulos* ipfe Apoftolus *Ecclefias* dixerit?

D. Paulus ut fupra.

Teftimonium autem Ambrofii *Titulationis Crucis*, Nimphæ *Domui* appofitæ, aliter accipiendum, quàm eo fenfu, quo illud Florentinus protulit, non irrationabiliter arbitramur. Cùm enim Paulum non *domum* materialem, fed qui in eà habitabant,

tabant, ſalutaſſe cenſendum ſit, nempè [familiam „ ejus, vel multitudinem Fidelium, apud eam con„ gregatorum], ut explicat Anſelmus; perperàm hujusmodi *Titulatio* Ambroſii ad materialem *Eccleſiam*, ſeu *domum* traducitur, cùm potiùs de iis, qui in eà degebant, Fidelibus accipienda ſit, ac ſi diceret Ambroſius: [Nimpha tam devota fuiſſe vi„ detur, ut omnis *Domus* ejus ſigno *Titulata* eſſet „ *Crucis*], nempè in Chriſto credens, vel baptizata; hoc ſiquidem ſalutifero *Titulo* titulari conſueviſſe quicumque Chriſtianæ Fidei nomen dabat, teſtatur Divus Auguſtinus in Tract. de Symbolo ad Catechumenos, nàm ipſos alloquens dicit: [Dùm „ per ſacratiſſimum *Crucis* ſignum vos ſuſcepit in „ utero Sancta Mater Eccleſia, quæ ſicut & fratres „ veſtros cum ſummà lætitià ſpiritaliter pariet, &c.] undè *Titulationem Crucis* Ambroſii haud de materiali *domo*, ſed de ſpiritali Fidelium *Eccleſià* liquidò intelligendam eſſe percipitur.

D. Anſelm. cap. 4. Epiſt. ad Coloſſenſ. pag. 371.

D. Auguſt. in Tract. de Symb. ad Catechum lib 4. cap. 1. to. 9.

Ex Actis deindè S. Praxedis apud Baronium relatis, educere nititur Florentinus, ab *Eccleſiis Titulos* fuiſſe diſtinctos; nam virgo Praxedes [multos „ Chriſtianos occultabat in eodem *Titulo*, nempè „ Paſtoris, quos cibo paſcebat]; ex quo patet, inquit Florentinus, *Titulos*, velutì hoſpitales, ſacrasque *Domos* fuiſſe, & ab *Eccleſiis*, dùm per mitiores perſecutiones liceret, officio omninò diverſos. In *Eccleſiis* quidem Deo dicatis conſuetum cibum ſumere, etiam Apoſtolorum ævo vetabatur; undè

Baron. anno 164. Florentinus ut ſupra.

 Divus

D. Paulus Epistol. 1. ad Cor. cap. 11. Divus Paulus Corinthios prohibuit in Ecclesiis manducare, quòd propriis domibus convesci magis honestum esset, sicùt in Ecclesis mulieres tacere voluit, quod in propriis domibus non vetavit.

Sed in hoc quoque graviter deceptus eruditissimus Scriptor cognoscitur, ad quem refellendum, quæ Joannes Cardin. Bona, & Cornelius à Lapide adnotarunt, recensere sat. erit. Quidam enim volunt, ut refert dictus Bona, Missam dictam à mittendo, quòd olìm fieret ex donis à populo missis, & in unum collatis, quæ expositio Sectariorum est, Missam cum Agape, seu convivio Christianorum confundentium. Erat autem Agape convivium publicum, quod in Ecclesià post sumptam Eucharistiam fieri solebat ad mutuam charitatem fovendam, & ad pauperes refocillandos. Hieronymo adscripta Commentaria in Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. [In „ Ecclesià convenientes oblationes suas separatìm „ offerebant, & post Communionem quæcumque „ eis de Sacrificiis (de his nimirùm, quæ quisque „ obtulerat) superfuissent, illìc in Ecclesià commu„ nem cœnam comedentes, pariter consumebant]; & Chrysostomus in eandem Epist. hom. 27. [Statis „ diebus mensas faciebant communes, & peractà „ Synaxi, post Sacramentorum communionem om„ nes commune inibant convivium, divitibus qui„ dem cibos adserentibus, pauperibus autem, & „ qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus „ communiter vescentibus]; Oecumenius quoque in

Jo. Cardin. Bona rerum Liturg lib 1. cap. 1. pag. 3.

D. Jo. Chrys. in Epist. 1 ad Cor. hom. 27.

Oecum. ibid.

„ in ipſam Pauli epiſtolam : [Præcipuis diebus, ſive
„ feſtis, poſt ſacrorum Myſteriorum participatio-
„ nem, agebantur communes cœnæ, præparanti-
„ bus illas divitibus, ac pauperes invitantibus].
His verò Teſtimoniis diverſam fuiſſe Agapen à Sacrificiis evincitur, idque etiam probat Pamelius ex pluribus Tertulliani textibus ad cap. 39. Apologetici, quo in loco magnus ille Africanus elegantiſſimè Agapen deſcribit; quædam dumtaxàt decerpimus, quia parerga hæc ſunt : [Cœna noſtra de nomine *Tertull. ad cap. 39. Apologet.*
„ rationem ſui oſtendit. Vocatur enim Agape, id
„ quod dilectio penès Græcos eſt. Quantiſcumque
„ ſumptibus conſtet, lucrum eſt, pietatis nomine
„ facere ſumptum: ſiquidem inopes quoque refri-
„ gerio iſto juvamus; non priùs diſcumbitur, quàm
„ oratio ad Deum prægustetur; editur, quantum
„ eſurientes capiunt; bibitur, quantum pudicis eſt
„ utile; ità ſaturantur, ut qui meminerint etiam
„ per noctem adorandum ſibi Deum eſſe; ità fabu-
„ lantur, ut qui ſciant Dominum audire. Æquè
„ oratio convivium dirimit, indè diſceditur, non in
„ catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſatio-
„ num, nec in eruptiones laſciviarum; ſed ad ean-
„ dem curam modeſtiæ, & pudicitiæ, ut qui non
„ tam cœnam cœnaverint, quàm diſciplinam].
Ad hæc eadem convivia reſpexiſſe putamus Plinium juniorem, cùm in epiſtolà ad Trajanum de Chriſtianorum Cœtibus diſſerens, ait: [Coeunt ad capien- *Plin. jun. in epiſt. ad Trajanum.*
„ dum cibum, promiſcuum tamen, & innoxium].
Triplex

Nazianzen. in carmine de divers. vitæ gener.

Triplex autem erat Agape, Natalitia, Funebris, & Connubialis, quas commemorat Nazianzenus in carmine de diversis vitæ generibus, hoc disticho:

Non epulũ Natale adiens cum pluribus, aut quod
Funereum est, vel quod Connubiale petens.

D.Gregorius lib.1. ep. 54. ad Petr.Subdiac. Idem lib. 9. epist. 71. ad Mellitum Abb.

Bos. Rom. subterr lib 6. cap.27.

D. August. Confess.lib.6. cap. 2., & epist.64.

Solitas quoquè exhiberi in dedicationibus Ecclesiarum Gregorius Magnus testatur lib. 1. epist. 54. ad Petrum Subdiaconum, & lib. 9. epist. 71. ad Mellitum Abbatem. Agunt de iisdem passìm antiqui Patres, quos refert Jacobus Bosius lib. 6. Romæ subterraneæ cap. 27., & Concilium Gangrense anathemate perstringit illos, qui eas spernebant. Posteà ob luxum, dissensiones, & alios abusus, qui sensim irrepserant, sublatæ sunt, ut scribit Augustin. lib. 6. Confess. cap. 2., & epist. 64., & ab Oriente quidem eas proscripsit Synodus Làodicena, ab Africà verò tertia Carthaginensis, à Gallià Aurelianensis secunda, & Cabilonensis.

Epist. 1. ad Corinth.c.11. vers.21. Cornelius à Lapid. ibid. D. August. epist. 118.

Cornelius verò à lapide in cap. 11. epist. 1. ad Corinthios hæc profert; nam illud Apostoli explicans: [Unusquisquè enim suam cœnam præsumit ad manducandum &c. (Primò, dicit, S. Augustinus epist. 118. *præsumit*, inquit, hoc est, sumit antè Synaxim, hoc enim propriè est præsumere; & quia ad hanc præsumptionem tollendam jubet vers. 33., ut invicem sese expectent, scilicèt in Cœnà antè Sanctam Synaxin; nàm in ipsà Sacrà Synaxi, vel post eam, non videtur opus fuisse

expe-

„ expectatione, cum ea non celebraretur, nisi postquàm omnes convenissent, eamquè promiscuè sumebant pauperes mixti divitibus.

„ Ubi nota, tempore Pauli, Christiani, ut imitarentur Christum, (qui post Cœnam agni, & communem, Eucharistiam instituit), antè Cœnam Eucharisticam, instituebant Cœnam communem omnibus Christianis tam pauperibus, quàm divitibus, idquè in mutuæ, & Christianæ charitatis symbolum. Perduravit hic mos in nonnullis Ecclesiis per multa sæcula; nam Sozomeni adhuc tempore, ut ipse narrat lib. 7. histor. cap. 29., in Ægypto, multis Urbibus, & pagis, sumptà cœnà vulgari, exemplo Christi celebrabant, & sumebant Sanctam Synaxin. Idem de aliis quibusdam Ecclesiis judicat Concil. Carthagin. 3. can. 29. Hunc morem, ubi, & quamdiù permissus fuit, non taxat hic Apostolus, sed ejus abusum in iis, qui in hac Cœnà se inebriabant, sinentes alios pauperiores esurire. Hoc enim taxans subdit (& alius quidem esurit, alius autem ebrius est) & (qui manducat indignè, hoc est in peccato mortali ebrietatis, & contemptus pauperum, reus erit corporis, & sanguinis Domini). Rursùm concludens vers. 33. (Itaquè Fratres, inquit, cùm convenitis ad manducandum, invicem expectate, si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis), scilicèt dum convenitis, ut Cœnam Dominicam, sivè Eucharisticam manducetis,

Sozomen hist. lib. 7. c. 29.

Conc. Carth. 3. can. 29.

„ cetis, ut dixit vers. 20.; ergò loquitur de con-
„ ventu, qui fiebat antè, non autem post Cœnam
„ Eucharisticam.

„ Secundò tamen, alii accipiunt τὸ *cœnam*
„ *suam præsumit*, de Agape post Sanctam Synaxin.
„ Pro quo nota, in primitivà Ecclesià, ad imitatio-
„ nem Cœnæ Christi, solitos ditiores post sanctam
„ communionem, cœnam in Ecclesià instruere
„ omnibus, tàm divitibus, quàm pauperibus in
„ charitatis symbolum, ideòque Agape vocabatur,
„ quasi dicas, charitas; sed refrigescente charitate,
„ crescente multitudine fidelium, res abiit in abu-
„ sum. Divites enim privatim suam cœnam præ-
„ occupabant, & instruebant sumptuosissimè etiam
„ ad ebrietatem, pauperibus vel exclusis, vel non
„ exspectatis, multò minùs invitatis, ut significa-
„ tur vers. 33., & hoc videtur hic taxare Apostolus.
„ Vide Chrysost. in moral. sub fin. homil. 23., Ter-
„ tull. Apolog. 29., & Baronium hic. Hac de cau-
„ sà Concil. Laodic. cap. 28. Agapes in Ecclesià
„ fieri vetuit.

D Jo. Chrys. in moral. hom. 23. *Tertullian. Apolog. 29.* *Concil. Laod. cap. 28.*

„ Verùm prior explicatio verior, & solidior est,
„ ob rationes ibi allatas; Agape enim hæc tempore
„ Pauli fiebat, non post, sed antè Sacram Synaxin,
„ licèt paulò post prima hæc Ecclesiæ tempora,
„ scilicèt cum Ecclesia sanxit, ut Eucharistia ob re-
„ verentiam non nisi à jejunis sumeretur, post Eu-
„ charistiam celebrata sit hæc Agape, ut patet ex
„ Tertulliano, & Chrysostomo jam citatis, & ex
Augu-

Tert. ut sup. D. Chrysost. ut suprà.

„ Augustino epist. 118.; undè pari ratione hic „ Apostoli locus iis, qui post Eucharistiam celebra- „ runt Agapen, accomodari potest; Apostolus „ enim taxat ebrietates, & arrogantias divitum in „ Agape, sivè ea sit antè, sivè post Eucharistiam]. Ità à Lapide. *D. August. epist. 118.*

Cùm igitur hæc omnia ignoraverit vir, aliàs eruditissimus Florentinus, mirum non est, in Ecclesiis cibum sumere vetitum primis temporibus credidisse, nec Apostoli intellexisse sensum, & verba, & hinc incongruè eduxisse, perperàm *Titulos* vocatos fuisse *Ecclesias*, quia nempè in *Ecclesiis* cibum sumere non licebat. Cùm enim ex evidentissimis allatis testibus constet, apud veteres Christianos, non tantùm manducare in *Ecclesiis* permissum, sed etiam Agapes instruere antè, vel post Communionem, solenne fuisse; quis sanæ mentis elicere poterit ex eo, quod Praxedes in Pastoris *Titulo* pauperes pavit, eundem *Titulum Domum* dumtaxàt fuisse, non verò *Ecclesiam*? Exempla verò, quæ post hæc Florentinus coacervat, desumpta ex Actis Cyriacæ, & Laurentii, nec non auctoritates Pii, & Chrysostomi, quibus ostendit, in *Titulis* fuisse aliquando *Ecclesias*, manifestè ipsius sententiam evertunt, ut ipsemet non diffitetur; id autem, quod deindè asserit, nempè sacra facere in iisdem *Titulis* nonnisi permissum fuisse, cùm persecutio sæviret, cùm nullo exemplo, vel auctoritate comprobetur, sua spontè corruit.

„ [Sub Evaristo (addit deindè.) anno Christi cir- *Florentinus ut supra.*

„ citèr 112. *Tituli*, hoc est *Domus* religioso usui „ mancipatæ in *Domos* Presbyterales, ac veluti pa- „ ræcias primis etiam Ecclesiæ temporibus evade- „ bant]. Si igitur res ità se habet, quod *Tituli* fuerint ab Evaristo instituti, Evaristum *Titulos* dividendo, non *Domus* tantùm Presbyteris divisisse, sed etiam *Ecclesias* in ipsis fateri necesse est; Evaristi enim ævo furebat persecutio, quæ nonnisi longè post desæviit; si ergò, juxtà Florentinum, persecutione grassante, *Tituli* pro *Ecclesiis* erant, in iisque sacra peragebantur; in *Domos* tantùm Presbyterales haud Evaristi tempore transire potuerunt, ut ipse dicit, sed potiùs in *Ecclesias* Presbyterales, cùm essent *Ecclesiæ*; licèt meliùs *Ecclesias* unà ac *Domos* fuisse censendum sit; undè quod de Marcello subjungit, „ quod videlicet [vigintiquinque *Titulos* in Urbe „ Romà constituit, quasi Diœceses propter Baptis- „ mum, & pœnitentiam multorum, qui converte- „ bantur ex Paganis, & propter sepulturas Marty- „ rum], funditùs ipsius sententiam evertit; nàm certum est, tam Sacramentorum administrationem, quàm Martyrum sepulturas, non ad *Domos* (quales idem Scriptor vult *Titulos* fuisse) sed ad Basilicas potiùs, & *Ecclesias* pertinuisse. Iccircò quæ insuper addit, desumpta ex allatis Actis Marcelli, nempè ex his constare, propè *Titulos*, vel in iisdem *Titulis* fuisse Fontes Baptismales, quemadmodùm S. Pius Papa Baptisterium dedicavit in *Titulo* Pastoris, similiter contra eum retorquentur; nàm propè *Domos* Bapti-

Baptisteria unquàm veteres erexisse non reperimus; apud *Ecclesias* verò, & Basilicas excitata fuisse, quæ supra de Constantini, & Constantiæ Baptisteriis commemoravimus, abundè demonstrant; si verò in iisdem *Titulis* admittantur Fontes Baptismales, oportet etiam asserere, in *Titulis Ecclesias* fuisse, cùm ut suprà diximus, Sacramentorum administratio ad *Ecclesias* spectaret.

Arbitratur deindè [ex *Titulis* etiam aliquos *Idem.* „ in publicum Fidelium usum erectos, qui ampliori „ nomine *Tituli Romani* vocarentur]; at ex hoc non probatur, iccircò *Titulos*, vel *Ecclesias* non fuisse, vel *Domos* tantùm extitisse. Sicut enim modò Cappellæ, & Oratoria quædam in privatis ædibus sunt, quædam verò publica Oratoria, & Ecclesiæ conspiciuntur, quæ adeuntibus omnibus indistinctè patent; ità & tunc fuisse non immeritò censendum est; non quod persecutionis tempore loca publica Deo dicata extiterint, sed quod in præcipuis quorundam Procerum Christianorum *Domibus Ecclesiæ*, magis quàm in aliis privatorum ædibus, concurrentibus ad sacram Synaxin Fidelibus, paterent; quæ *Domus* iccircò singulari nomine *Romanorum Titulorum* potirentur.

Ulteriùs nihilominùs suam sententiam Florentinus tueri conatur ex hoc, quod incongruum reperisse dicit, *Titulos* asseri vivis dicatos: [Quis enim *Idem.* „ crederet, inquit, alicui *Titulum* tanquàm *Ecclesiam* inscribi, & dedicari? & tamen legimus Pu-

„ dentem Pastori viventi *Titulum* dedicavisse „; „ vidimus etiam S. Lucinam Marcello Pontifici „ viventi, & quod majus est, ex Libro Pontificali „ constat, S. Silvestrum sibi ipsi *Titulum* inscrip- „ sisse]; verùm & in hoc vir doctissimus deceptus deprehenditur; nàm ex eo quod *Titulo* nomen alicujus viventis tribuebatur, non tamen iccircò *Titulus* ipsi sacer censendus erat. Nec mirum, quod *Tituli* viventibus recenseantur dicati, cùm ipsæmet Basilicæ, quæ Sanctis dumtaxàt dicabantur, nihilominùs proprio viventis alicujus nomine adnotatæ reperiantur, quæ tamen ipsis, quorum nomina gesserunt, minimè sacræ fuisse cognoscuntur. Hujus rei unicum testem afferre sufficiat Anastasium Bibliothecarium in Vità Liberii; nàm de eodem loquens, hæc dicit: [Hic fecit Basilicam nomini suo, juxtà „ Macellum Libiæ *]; Basilicam enim hanc, quam nomini suo fecisse Liberius legitur, eam ipsam nonnisi B.mæ Virgini dicatam fuisse perhibetur; cur igitur Anastasius nomini suo eam fecisse scripsit, cùm non Liberio, sed intemeratæ Virgini sacra fuerit? non ob aliud certè, nisi vel quia eandem ipse ædificavit, vel saltèm quia in Cathedrà Petri ipso sedente excitata, ab eo Liberianæ Basilicæ nomenclaturam, qua usque in præsens potitur, accepit. Quapropter sicut sibimet viventibus Basilicas construere, vel potiùs inscribere potuerunt primi Fideles, licèt Basilicæ illæ ipsis sacræ haud essent; sic pari modo sibi *Titulos* inscribere, & dicare quiverunt, absque eo quod

Anastas. in Liber.

* *Liviæ.*

quod iisdem sacri conferentur. Ex quo apparet, frustrà conjici, in *Titulis Ecclesias* minimè fuisse, quia alicui viventi dicati reperiantur; nàm hujusmodi dicatio, seu inscriptio non effecit, quin Deo in honorem Sanctorum sacri fuerint. Probatissimum hujus rei exemplum præbent Hadrianus Papa I. in Epistolà ad Carolum Magnum Imperatorem, & Anastasius Bibliothecarius in Damaso; nàm Hadrianus: [S. Da- *Hadrian. I. in Epist. ad Carolū Magnum pro 2. Concilio Nicæn. an.787.*
„ masus, ait, elegantissimus Papa propriam suam
„ fecit *Ecclesiam*, cujus S. Gregorius Papa meminit
„ in Dialogis, quæ ex nomine conditoris Damasi
„ vocatur, &c.]; Anastasius verò de hac ipsà *Basilicà* loquens: [Hic, inquit, constituit *Titulum* in *Anastas. in Damas.*
„ Urbe Romanà, scilicèt *Basilicam*, quam ipse con-
„ struxit, ubi & donavit, &c.]; & paulò post dona-
„ vit [*Domos in circuitu Basilicæ*, præstantes soli-
„ dos quinquagintaquinque, &c.]. Ecce hic & *Basilica* nomine Damasi insignita, ecce hic *Titulus* Damasi nomine inscriptus, & ecce tandem, quod *Titulus Basilica* nuncupatur; ex quo agnoscitur, eàdem pari ratione, quod alicujus nomine notari poterat *Basilica*, quamvis ipsi, cujus nomen gerebat, minimè dicata haberetur, potuisse viventi alicui dicari *Titulum*, licèt hic eidem sacer non esset; undè sicut ex inscriptione *Basilicæ* viventi factà educi nequit, *Basilicam* ipsam eidem sacram fuisse, ità multò minùs inferri valet ex ipsà dedicatione viventi factà, quod *Titulus* sacro usui addictus non fuerit. Præterquamquod probatur manifestè ex allatà Anastasii

stasii auctoritate, quod idem *Titulus Basilica* fuit; & nè *Titulos* solas *Basilicas* fuisse suspicaremur, ex *domibus* circumadiacentibus eidem Basilicæ dono traditis, apertè deducitur, etiam redditâ pace Ecclesiæ, *Titulos* fuisse *Domos* unà & *Ecclesias*, quamvis istas (uti olìm persecutione sæviente) tempore Damasi in *Domibus* delituisse, minimè censeamus.

Florentinus ut supra. Ostendit deindè Florentinus, *Ecclesias Crucibus* erectis, vel pictis usitatiùs dedicatas fuisse; invaluisse dicit nihilominùs à priscà *Ecclesià* apud Fideles morem, ut non modò in *Ecclesiis*, & *Titulis*, sed antè privatas Christianorum *Domus Cruces* pingerentur, ut Christianis iisdem objiciebat Julianus Apostata; quapropter cùm appositum tantùm *Crucis* signum *Titulos*, & *Ecclesias* à privatis Domibus distinguere satis non posset, necesse fuerit nomen etiam *Titulis* addere, nempè Pammachii, Vestinæ, Equitii, &c., & dedicatas *Ecclesias* etiam suis nominibus nuncupare; quibus in medium prolatis illicò addit: *Ut supra.* [Cùm ergò *Tituli* saltèm initio „ quid diversum ab *Ecclesiis* essent, & deindè neque „ omnes *Ecclesiæ Tituli* nomine dicerentur, con- „ sentaneum magis videtur, religiosas propriè *Do-* „ *mos* fuisse]. At quænam quæso est hujusmodi ratiocinatio? quo pacto ex talibus præmissis, initio saltèm, *Titulos* quid diversum ab *Ecclesiis* extitisse infert? Toties ipsemet haud diffiteri potuit, initio, sæviente persecutione, in *Titulis Ecclesias* fuisse, in

quibus

quibus sacra Mysteria perficiebantur; quomodò igitur quid diversum ab *Ecclesiis* tunc extitisse, suadere hic nititur, ex eo tantùm, quod, ut distinguerentur à privatis ædibus, *Ecclesiæ*, & *Tituli* distinctis nominibus fuerint nuncupati? Aliis forsitàn nominibus appellatas fuisse *Ecclesias* in *Titulis*, aliis *Titulos* eosdem ex hoc conjicit? & id nos fatemur; attamen non ex hoc benè infertur, *Titulos* quid diversum extitisse ab *Ecclesiis*, & *Domos* dumtaxàt fuisse; nàm certè, ut ipsemet contrà se ipsum inferiùs statuit, *Titulus* sine *Ecclesià* non fuit, licèt non omnis *Ecclesia Titulus* diceretur; undè ex hoc quod *Ecclesiæ* in *Titulis* propriam nomenclaturam haberent, & propriam insuper iidem *Tituli*, educi nullatenùs potest, *Ecclesiæ* igitur non fuerunt in *Titulis*, vel quod omnis *Titulus* non fuerit nisi *Domus*; nàm in *Titulis* proprio nomine insignitis etiam *Ecclesias* fuisse singulari nomine prænotatas, ex allato Anastasio, & aliis manifestè colligitur.

Iccircò quæ ex Libro Pontificali de Vestinæ *Titulo* profert Florentinus, quod nempè à *Basilicà* distinctus, & *Domus* appellatus videatur, tanquàm nullius momenti habenda sunt; immò ipse coarguendus cognoscitur, eo quod Anastasium reprehenderit, qui *Ecclesias*, quæ *Titulum* habebant, cum *Titulis* ipsis confuderit; quia cùm optimè compererit Anastasius in *Titulis Basilicas* comprehensas, sat habuit, cùm de ipsis differere debuit, *Titulos* memorare; nec viceversà segregare potuit à *Titulis* *Eccle-* *Ut supra.*

Ecclesias, quas unum & idem fuisse cùm *Titulis* perspicuè agnovit.

Demùm ex subscriptionibus in Pontificiis aliquibus Diplomatibus, ab ipso adnotatis, nullatenùs (ut ipsemet excogitavit) ab *Ecclesiâ Titulus* distinctus apparet; cùm enim in Diplomate Calixti subscriptus legitur [Benedictus Presbyt. Card. S. Petri „ ad Vincula *Tit. Eudoxiæ*], & sic in aliis, non *Ecclesia* à *Titulo* separatur; sed ad *Titulum Ecclesiam* pertinuisse ostenditur. Quod ex communi, qui inolevit, loquendi usu magis comprobatum observavimus; nàm cùm memorare contingat *Basilicam* ex: gr. S. Laurentii, quæ Presbyteri Cardin. *Titulo* decoratur, non aliter eam appellare solemus, quàm S. Laurentii *in Lucinà*; quem morem, ex eo quod *Basilica* ipsa in *Titulo Lucinæ* constructa fuerit, processisse non irrationabiliter existimamus.

Ut supra.

Ughell. Ital. Sacr. tom. 9. pag. 502.

CAPUT VII.

De Divisione Titulorum, & *Nomine* Cardinalium.

FUerunt igitur *Tituli* præcipuæ quædam *domus*, in quibus *Ecclesiæ*, seù *Basilicæ* constitutæ erant, ad Sacra facienda, & ubi insupèr profugis, aut pauperibus Fidelibus hospitium, & victui necessaria suppeditabantur. Ut verò hæc omnia, juxtà Apostoli monitum, ordine fierent, cùm præci-

D. Paulus 1. ad Corint. c. 14. vers. 40

præcipuè in Christianos Ethnica debaccharetur sævitia, optimum visum est summis Ecclesiæ Pastoribus, ut cuique *Titulo* Presbyter præponeretur, qui Fidelium in eo congregatorum animabus simul, corporibusque consuleret, nec non in eâ Regione Urbis, in quâ *Titulus* constitutus erat, Paræciam, sivè Diœcesem habens, Christianorum etiam in ipsâ degentium sollicitudinem gereret, pasceretquè Verbo Dei, & sacra ministraret; quod primò præstitisse Evaristum, qui post Petrum quintus Apostolicam Sedem tenuit, plurimi putarunt; at Eminentissimus Baronius alitèr existimavit; nam antè Evaristum à prædecessoribus Pontificibus *Titulorum* factam fuisse distributionem optimè credidit. *Baron. ann. 112.*

Verùm licèt hæc Baronii sententia nullo antiquitatis testimonio apud ipsum fulciatur, tamen haud prorsùs eo vacat, ut inferiùs dicetur, nec omninò probabilitate caret, cùm ad Sanctorum Pontificum, qui Evaristum præcesserunt, pastoralem sollicitudinem pertinuisse agnoscatur ea *Titulorum* distributio. Nec obstant, quæ affert Onuphrius Panvinius, ut ostendat, Evaristum primò in Urbe Presbyteris *Titulos* commisisse, his verbis: [Porrò au- *Onuph. Panvin. de Episc. Titul., Diacon. Cardin. pag. 5.*
„ tem ne Presbyterorum administratio in promi-
„ scuo esset, idem Evaristus, qui * tertius post Bea- ** quintus*
„ tum Petrum Apostolum Romanus Pontifex fuit,
„ circà annum à Christo nato centesimum, *Titu-*
„ *los*, vel (ut nunc dicimus) paræcias in Urbe Ro-
„ mâ ipsis Presbyteris divisit, ut singuli à se invi-

„ cem secreti in suâ Urbis regione, *Titulo*, vel pa-
„ ræciâ, confusionis tollendæ causâ, divina Myste-
„ ria populum erudientes, Sacramenta Dei omnibus
„ ad se venientibus fidelibus exhiberent, singulos-
„ què presbyteros in unoquoque *Titulo* posuit; suf-
„ ficere enim tum visus est is numerus propter cre-
„ dentium paucitatem]; hæc, inquam, non obstant, quia ad tollendas confusiones, etiam ante Evaristum, Presbyterorum in promiscuo administrationem abstulisse optimum esse potuit; nam confusiones etiam Apostolorum ævo inter Fideles exortas ob Euangelii ministros, colligitur ex epistolâ primâ ad Corinthios, in qua Paulus ipsos redarguit, quòd contentiones inter eos essent [quod unusquisque vestrum (ait) dicit: Ego quidem sum Pauli (scilicèt discipulus Catechumenus): ego autem Apollo: ego verò Cephæ: ego autem Christi]; quapropter à veritate alienum his de causis judicandum non est, in Ecclesiâ Romanâ quoquè, ad tollendas confusiones, Ministrorum Sacrorum causâ exoriri solitas, licèt in eâ haud fuisse reperiamus, *Titulorum* distributionem etiam antè Evaristum factam fuisse, ut Baronius optimè arbitratus est.

D. Paul. 1. ad Corinth.

Ibid. ut sup.

„ [Verùm non longè post Evaristum (inquit
„ idem Panvinius), Fidelium quotidiè crescente
„ multitudine, permotus Hyginus Romanus Ponti-
„ fex, cùm tot credentibus non sufficerent hi, plu-
„ res in unoquoquè *Titulo* tùm Clericos, tùm pres-
„ byteros esse voluit. Hinc autem Presbyterorum

Car-

„ *Cardinalium* nomen manasse crediderim, ut is „ videlicèt esset Presbyter *Cardinalis*, idest *principalis*, qui cæteris presbyteris ejusdem *Tituli* „ (quos plures ab Hygino factos fuisse dixi, cùm „ primùm unus tantùm per singulos *Titulos* presbyter fuisset) præesset; satis enim constat, aliquot annis post, antè etiam S. Silvestri Papæ tempora, *Cardinalis* nomen in Romanà Ecclesià „ usurpari cœptum fuisse, quod non nisi ex Hygini „ instituto oriri potuit, cùm antea eo nomine uti „ opus non esset, quòd non nisi unus per singulos „ *Titulos* presbyter fuisset].

Hanc Panvinii opinionem, quod videlicèt Hyginus plures in unoquoquè *Titulo* tùm presbyteros, tùm Clericos statuerit, sequuti sunt Ciacconius, Victorellus, Petrus Frizon, Vasquez in 3. partem, S. Thomæ tom. 3. disput. 141. cap. 1., & alii &c. qui duplici innituntur fundamento; Repererunt enim primùm in Hygino apud Anastasium, quod „ [Hic Clerum composuit, & distribuit gradus], deindè apud Divum Gregorium, in totiès memoratà Synodo Romanà plures unius *Tituli* subscriptos presbyteros, nempè tres *Tituli* S. Balbinæ, duos *Tituli* Sancti Silvestri, duos item Sanctorum Apostolorum; undè tùm ex allatà Cleri compositione, & distributione per Hyginum factà, tùm ex adductà Synodi Romanæ auctoritate, & plures presbyteros in uno *Titulo*, & eum, qui in ipsis *Titulis* aliis præerat presbyteris, *Cardinalis* nomi-

Ciaccon., & *Victorell.* in *Hygin.*

Frizon. in *apparatu ad Gall Purpur.* cap. 3.

Vasquez in 3. par. S. Tho. tom. 3. disp. 141. cap. 1.

Anastas. in *Hygin.*

D. Gregor. Registr. epist. lib. 4. ep. 44.

nomine presbyterum nuncupatum fuisse existimarunt.

Verùm licèt & compositio, & Cleri distributio ab Hygino facta recenseatur; cùm tamen hunc quindecim tantùm presbyteros ordinasse inveniamus toto, quo sedit, tempore, quod videlicèt annorum quatuor, trium mensium, & octo dierum fuisse apud eundem Bibliothecarium reperitur; exiguo hoc numero in *Titulis* presbyterorum numerum adaugere quomodo potuerit, haud facilè intelligitur, cùm præcipuè alii antè ipsum Pontifices, presbyteros numero pauciores ordinasse deprehendantur. Post Evaristum enim, qui primus Apostolicam Sedem tenuit Alexander, per annos octo, menses quinque, dies octo, sex tantùm presbyteros fecisse legitur. Undecim ordinavit Sixtus, qui sedit annos decem, menses tres, dies viginti, & unum; & duodecim Thelesphorus, qui sedit annos undecim, menses tres, & dies viginti duos. Undè triginta trium annorum spatio, viginti novem dumtaxat Presbyteros à Pontificibus ordinatos fuisse comperimus, ex quibus cùm plurimi, vel Martyrio, vel naturali morte consumpti fuerint, in ipsorum locum quindecim suos substituisse Hyginum censendum est; quapropter minimè intelligitur, qua ratione, quo modo Presbyteros in *Titulis* multiplicare potuerit ipse Hyginus, illis, quas habuit, ordinationibus, cùm præcedentium presbyterorum (quos toto eo triginta annorum intervallo ex hac vitâ decessisse, sæviente

Anastas. in Hygin.

Anastas. in Alex. I.

Anastas. in Sixto I.

Anastas. in Thelesph.

præ-

præsertim persecutione, credibile est) vix numerum implere potuisse agnoscatur.

Quòd si his addas, quæ in Cleto idem Anastasius refert, ruet procul dubiò Panvinii, aliorumque Sectatorum ejus de multiplicatione presbyterorum „ ab Hygino in *Titulis* factâ, sententia: [Hic (inquit „ Anastasius in Cleto) ex præcepto B. Petri viginti „ quinque presbyteros ordinavit in Urbe Româ]; si enim juxtà Principis Apostolorum præceptum viginti quinque presbyteri in Urbe esse debebant, ad implendum eum numerum vix sat fuisse ordinationes factas ab Evaristo ad Hyginum, quis manifestè non videt? quomodò igitur modicissimo numero presbyterorum, quos ordinavit Hyginus, non tantùm vigintiquinque presbyterorum servatum Apostoli præceptum, sed insupèr etiam cohors illorum multiplicata existimabitur?

Anastas. in Cleto.

Romanæ Synodi autem auctoritas nullà prorsùs ratione probat, multiplicationem presbyterorum in *Titulis* factam ad Hyginum esse referendam, sed solùm Gregorii Magni ævo plures in uno *Titulo* presbyteros extitisse; quod tamen in omnibus *Titulis* hanc multiplicationem factam fuisse, minimè ostendit, sed tantùm in quibusdam, qui nempè constituti fuerint in illis Urbis locis, ubi major esset frequentia Christianæ plebis, cui regendæ presbyter unus impar esset. Undè etiam corruit eductio illa ex his facta vocabuli *Cardinalis*, quia ritè inferri nequit ex eo, quòd in aliquibus *Titulis* plures essent Pres-

Presbyteri, inter quos unus principalis, qui *Cardinalis* diceretur, quod omnibus Presbyterorum *Titulis*, in quibus, ut plurimùm, unus tantùm Presbyter erat, *Cardinalis* nomen tributum fuerit; tùm quia denominatio à potiori sumenda est, undè cùm *Titulorum* pars potior unum solummodò obtineret Presbyterum, à paucis *Titulis*, qui plures Presbyteros habebant, nomenclaturam omnes *Titulos* retulisse inverisimile est; tum ex his, quæ affert Eminentissimus Bellarminus, dicit enim: [Hæc Onuphrii „ explicatio non videtur vera; nam in eodem *Titulo* plures erant aliquando *Cardinales*, ut patet ex „ Synodo S. Gregorii, quæ habetur lib. 4. registr. „ cap. 88., ubi ponuntur subscriptiones Presbyterorum *Cardinalium*, & inter eas tres inveniuntur „ *Tituli* S. Balbinæ, duo S. Damasi, duo S. Silvestri, duo Sanctorum Apostolorum: non igitur „ is tantùm *Cardinalis* dicebatur, qui præerat *Titulo*. Præterea tempore S. Silvestri septem tantùm Romæ erant Diaconi *Cardinales*, nam adhuc recens erat eo tempore Canon 14. Concilii „ Neocæsariensis, ubi definitur, in qualibet Civitate quamvìs magnà septem tantùm debere esse „ Diaconos, & tamen illi omnes Romæ dicebantur „ *Cardinales*, ut patet ex Concilio Romano sub „ Silvestro Can. 6., non igitur Diaconus *Cardinalis* erat, qui præerat aliis Diaconis ejusdem Ecclesiæ; Adde postremò, quod juxtà hanc Onuphrii „ explicationem nulla ratio reddi posset, cur dicerentur

Bellarmin. de Clericis lib. 1. cap. 16. to. 1. pag. 199.

„ rentur quidam Episcopi *Cardinales*; non enim „ dici possunt Episcopi *Cardinales*, quòd præsint „ aliis Episcopis suæ Diœcesis, sicut Presbyter *Car-* „ *dinalis*, quòd præsit Presbyteris sui *Tituli*, nam „ non sunt in una Diœcesi plures Episcopi]. Hæc Bellarminus; sed ad ordinem redeamus.

Existimandum igitur melius videtur juxtà Baronium, *Titulorum* divisionem in Urbe factam fuisse ante Evaristum, immò meritò à Cleto, qui ex præcepto B. Petri Apostoli *viginti quinque* Presbyteros in Urbe Romà ordinasse legitur. Ad quid enim eo Sacrorum Ministrorum numero Romanam insigniri Ecclesiam, Apostolorum Principem voluisse censendum est, nisi ut eà ratione Dominico Urbis gregi consuleret? Huic consona deprehenduntur, & quæ Doctor Gentium dixit, & quæ *Titularibus* Presbyteris Urbis tradita munia leguntur; in Actis siquidem Apostolorum hæc Ephesiis dicta „ recensentur: [Attendite vobis, & universo gregi, *Act. 20. 28* „ in quo vos Spiritus Sanctus posuit *Episcopos* re- „ gere *Ecclesiam* Dei]: [Porrò (explicat eruditis- „ simus Cornelius à Lapide) Ephesi unus erat *Epi-* *Cornel. à Lapid. ibid.* „ *scopus*, scilicèt Thimotheus. *Episcopos* ergo „ vocat primarios Presbyteros; hi enim cum *Epi-* „ *scopo*, quasi *Episcopi* invigilabant Ecclesiæ, eam- „ què regebant; undè vers. 17. vocat eos *majores* „ *natu*, idest Seniores, & Presbyteros], non quòd Presbyteri essent *Episcopi*, ut Aerius, & Wiclef impiè dixerunt, qui jure divino in ordine, & potestate

Epi-

Epifcopo parem fecerunt Presbyterum, fed tantùm ex communicatâ, ut mox diximus, Presbytero ipfi jurisdictione, ut Bellarminus demonftrat lib. 1. de Cleric. cap. 5.

Bellarm. de Cleric. lib. 1. cap. 5.

Cùm igitur Apoftoli ævo Ephefina Ecclefia Presbyteros haberet, qui cum Epifcopo *quafi Epifcopi* invigilabant Ecclefiæ, eamquè regebant, undè etiam *Epifcopi* vocati funt; quis ambigere poterit, ad id quoque fpectaffe Petrum Apoftolum, cùm in Romanà Ecclefià *viginti quinque Presbyteros* ordinari præcepit, ut nempè hi in *Titulis* divifi (ut neceffe fuit ad tollendam, ut diximus, confufionem,) *quafi Epifcopi*, & ipfi cum Summo Pontifice invigilarent Ecclefiæ, eamque regerent? Duas enim ob caufas olìm Presbyteri, *Epifcopi* vocati funt, inquit „ laudatus à Lapide: [Prima eft, quam dixi, quia „ in ordine fummo, qui eft Sacerdotii, Presbyter „ par eft Epifcopo. Secunda, quia olìm antè fchif„ ma (ut ait Hieronym. in 1. ad Titum) non tàm „ auctoritate, & jurisdictione diftinctà, & divisà, „ quàm communi Presbyterorum confilio, labore, „ & fpiritu regebantur Ecclefiæ]; & ideò ex his mirum non eft, fi quafi Epifcopalis *Titularibus* Urbis Presbyteris auctoritas tributa fuerit, ipfifque à Pontificibus *Diœcefes* certis limitibus comprehenfæ fuerint adfcriptæ; quia nempè ex eàdem Apoftolicà inftitutione, quæ Ephefi per Paulum manavit, ut Presbyteri in Ecclefià, *Epifcopi* quodammodò effent, & nuncuparentur; in Romanà Ecclefià per Petrum

Cornel. à Lap. in epift. ad Philippen. cap. 1. ver. 1.

D. Hieronym. 1. ad Titum.

factum

factum eſt, ut Presbyteri in *Titulis* Urbis *quaſi Epiſcopali* officio, & juriſdictione fungerentur. Hoc autem diſcrimen interceſſit inter Romanam, aliaſquè Eccleſias, quod cùm poſteà in iſtis creſceret Fidelium numerus, atque ad eum gubernandum, ut dicit idem à Lapide, opus eſſet debito ordine, & ſubordinatione Miniſtrorum, ſub uno Rectore Epiſcopo: & in ipſis Eccleſiis (ſi credimus Hieronymo in 1. ad Titum), cùm Presbyteri primà illà Epiſcoporum communicatione abuterentur, iiſque inſolentèr æquari, & præeſſe vellent, ac facerent Schiſmata, Epiſcopi iccircò ſuam auctoritatem, & præeminentiam tueri cœperint, & ſic omnibus prælati fuerint; quod in Eccleſià Romanà minimè accidit: nàm in ipsà, uti Apoſtolicarum inſtitutionum firmiſſimà, & vigilantiſſimà cuſtode, non tantùm Pontificibus auctoritatem ſubtrahere, haud contendiſſe Presbyteros invenimus; quinimò à Pontificibus Presbyteris ipſis in *Titulis* ſemper, uti à principio, communicatam fuiſſe juriſdictionem deprehendimus. Cùm autem ea ſchiſmata inter Epiſcopos, atque Presbyteros orta recenſeantur Apoſtolorum tempore ſub ipſa Eccleſiæ initia, dum hic ex Corinthiis diceret: ego ſum Cephæ, hic: ego Pauli, ille: ego Apollo; hinc patet, antè ſchiſmata ipſa ab Epiſcopis Epiſcopalem communicatam fuiſſe jurisdictionem Presbyteris, & per conſequens in Romanà etiam Eccleſià, vel eodem tempore, vel paulò poſt, nempè ſub Cleto, ut diximus, ex Principis Apoſtolorum præcepto,

Cornel. à Lapid. ut ſupra.

D. Hieron. ut ſupra.

D. Paul. ut ſupra.

viginti quinque ordinatis Presbyteris, Dominici gregis paftoralem follicitudinem, in affignatis cuique *Titulis*, ad tollendam, quam innuimus confufionem, demandatam fuiffe.

Panvin. ut fupra. Quod verò pertinet ad *Cardinalis* vocabulum, nec Panvinium, aliofque ipfius fententiæ adhærentes *Bellarm. ut fupra.* fequimur, ut fuprà diximus, nec Bellarmino etiam affentimur, qui *Cardinalis* nomen loco primùm impofitum, deindè à loco ad perfonas translatum fuiffe opinatur; fed ex antiquo proceffiffe arbitramur verbo *Incardinare*, quod apud Veteres idem fignificabat, ac *ordinare*, videlicèt *addicere* alicui præfinitæ Ecclefiæ Presbyterum, vel Epifcopum, vel Diaconum; quod nempè verbum, non tantùm adhibitum fuit, cùm in Urbis *Titulis* Presbyteri ftatuerentur, fed illud infuper ufurparunt Pontifices, cùm in aliis etiam extrà Urbem Ecclefiis Presbyteros, vel Epifcopos, aut Diaconos conftituere voluerunt; quapropter Magnus Gregorius in epiftolà ad Balbinum *D. Gregor. epift. regiftr. lib. 1. Indict. 9. epift. 15.* „ Epifcopum Rofellanum fcribit: [Jubemus dile-„ ctioni tuæ, ut hujus præceptionis auctoritate „ commonitus, memoratæ Ecclefiæ (nempè Popu-„ lonenfis) vifitator accedas, ut unum *Cardinalem* „ illic Presbyterum, & duos debeas Diaconos *ordinare*]; & in alterà ad Martinum Epifcopum in Corficà, ei præcipiens, de Tamitanà Ecclefià in Ale-*Regift. lib. 1. epift. 77. Indict. 9.* „ rienfem tranfire, dicit: [& quoniam Ecclefia „ Tamitana, in qua dudum fuerat honore Sacerdo-„ tali tua fraternitas decorata, ita eft, delictis facien-

„ cientibus, hoſtili feritate occupata, atque diruta,
„ ut illuc ulteriùs ſpes remeandi nulla remanſerit;
„ in Eccleſiâ Alerienſi, quæ jam diù Pontificis auxi-
„ lio deſtituta eſt, *Cardinalem* te ſecundùm peti-
„ tionis tuæ modum, hac auctoritate conſtituimus
„ ſine dubio Sacerdotem]; & de ipsâ Martini Epi-
ſcopi tranſmigratione ad Eccleſiam Alerienſem ſcri-
„ bens ad Clerum, & Nobiles Corſicæ: [Eâ de re „ *Ibid. ut ſupra epiſt. 79.*
„ dicit, quoniam Eccleſia Alerienſis Sacerdotis diù
„ eſt auxilio deſtituta, neceſſarium duximus, Mar-
„ tinum fratrem, & Coepiſcopum noſtrum ibidem
„ *Cardinalem* conſtituere Sacerdotem]; Ad Ar-
chiepiſcopum verò Calaritanum in Sardiniâ ſcribens,
dum admonet de ſuperbiâ Liberati Diaconi compri-
mendâ, docet *Cardinalem* aliquem conſtituere,
aliud non fuiſſe, quàm ad Sacerdotium, ſeù ad Pres-
byteratus ordinem eum evexiſſe; ait enim: [Libe- *Ibid. ut ſupra epiſt. 81.*
„ ratus igitur, de quo nobis tua fraternitas indicavit
„ qui Diaconii fungi perhibetur officio, ſi à deceſſo-
„ re tuo *non factus eſt Cardinalis*, ordinatis à te
„ Diaconibus nulla debet ratione præponi, ne eos,
„ quos conſecrando probaſſe cognoſceris, reprobare
„ ſupponendo quodam modo videaris. Prædictum
„ itaquè Liberatum, quem reprimendus ambitionis
„ inflat ſpiritus, omni inſtantiâ ab intentus ſui pra-
„ vitate compeſce, & ultimum inter Diaconos ſtare
„ conſtitue, ne dum ſe illicitè præferri contendit
„ immeritus, loco, in quo nunc ſitus eſt, judicetur.
„ Cujus tamen ſi obedientiâ fueris invitatus, & eum

„ post hæc *Cardinalem facere* volueris, nisi Ponti-
„ ficis sui concessionem solenni more meruerit,
„ abstinendum ab omni ejus *incardinatione* memi-
„ neris, quoniam æquitati convenire non ambigis,
„ ut aliis servare non differas, quod ipse quoquè tibi
„ servari desideras].

De privato autem Oratorio ad preces Timotheæ cujusdam illustris fœminæ consecrando admonens Gregorius Castorium Ariminen. Episcopum:

Registr. Epist. lib. 2. epist. 9.

„ [Prædictum Oratorium, inquit, absque Missis
„ publicis solenniter consecrabis; ità ut in eodem
„ loco nec futuris temporibus Baptisterium con-
„ struatur, nec *Presbyterum constituas Cardina-*
„ *lem*]; & explicans quodammodò, quod sicùt omnis Presbyter, *Cardinalis* non erat, ità *Cardinalis* nomine, qui alicui Ecclesiæ Presbyter addictus erat, tantùm nuncuparetur, subdit: [Et si Missas fortè

Ibidem ut supra.

„ maluerit fieri sibi, à dilectione tuà Presbyterum
„ noverit postulandum, quatenùs nihil aliàs, à quo-
„ libet Sacerdote alio ullatenùs præsumatur]; & demùm quid *Cardinalis* nomen, quid *incardinare* verbum significarent, apertè ostendens in Epistolà ad Joannem Episcopum Squillatinum, dicit: [Pro-

Ut supra epist. 25.

„ ptereà te Joannem ab hostibus captivatæ Lusitanæ
„ Civitatis Episcopum *in Squillatinà Ecclesià Car-*
„ *dinalem necesse duximus constituere Sacerdotem*,
„ ut susceptione semèl Animarum curam, intuitu
„ futuræ retributionis impleas; & licèt à tuà Eccle-
„ sià sis hoste imminente depulsus, aliam, quæ Pa-
store

„ store vacat, Ecclesiam debes gubernare; ità tamen ut si Civitatem illam ab hostibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem statum contigerit revocari, ad eam, in qua priùs *incardinatus es*, Ecclesiam revertaris; sin autem prædicta Civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac, in qua à nobis ordinatus es, *incardinatus* debeas Ecclesià permanere].

Cùm igitur *incardinare*, & *Cardinalem constituere* in aliquà Ecclesià nil aliud esset apud veteres, quàm alicui Ecclesiæ addicere; hinc est, ut patet ex ipsis Magni Gregorii Epistolis, quod nomen hoc minimè peculiare fuerit Presbyterorum in Urbis *Titulis* constitutorum, sed etiam aliarum Ecclesiarum commune Presbyteris; undè & Salernitanis, & Neapolitanis, & Compostellanis, & Mediolanensibus, nec non Ravennatis Ecclesiæ Canonicis tributum fuisse reperitur; quapropter in Diplomate quodam Ravennati Ecclesiæ ab Alexandro Papa III. concesso hæc leguntur: [Nos Sanctam Ravennatem „ Ecclesiam in honore Agiæ Anastasiæ mirificè constructam, & summis Ecclesiasticarum dignitatum honoribus, post solam omnium Ecclesiarum Matrem Romanam Ecclesiam, &c. reparare cupientes, &c. & Beatissimi Martyris Apollinaris primi Episcopi, & Beati Petri Apostolorum Principis Discipuli auctoritate, & nostrà roboramus, in primis videlicèt *omnes Cardinalatus*, *&* *Titulos*, *&* *Diaconias*, *&c.* *Tibi*, *tuisque Fratribus*

Apud Fabr in Mem. hist Raven. par. 1 pag. 24.

„ *tribus Cardinalibus omnibus*, vestrisque Succes-
„ soribus, &c.]

Verùm si res ità se habet, quod à verbo *incardinare* exortum *Cardinalis* nomen, reliquis etiam Ecclesiis constitutis, & addictis Presbyteris, seu Diaconibus tributum fuerit; undè potissimùm etiam antiquitùs Episcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. inter alios, & præ aliis *Cardinalis* nomen sumpserunt? Huic objectioni S. Leo Papa IX. in hunc modum satisfecisse videtur; scripsit enim ad Michelem Imperatorem: [Sicùt *cardine* totum regitur
„ ostium, ità Petro, & Successoribus ejus, totius
„ Ecclesiæ deponitur emolumentum; & sicùt *car-*
„ *do* immobilis permanens ducit, & reducit ostium;
„ sic Petrus, & sui Successores liberum de omni Ec-
„ clesià habent judicium, cùm nemo debeat eorum
„ dimovere statum, quia summa Sedes à nemine
„ judicatur; undè Clerici ejus *Cardinales* dicuntur,
„ *cardini* utique illi, quo cætera moventur, viciniùs
„ adhærentes]. Nihilominùs hæc nomini *Cardinalis* data à Sm̃o Pontifice interpretatio difficultatem non solvit; tùm quia, dùm eam tradidit, jàm Romanæ Ecclesiæ Presbyteri eà nomenclaturà diù antè à cæterarum Ecclesiarum Presbyteris distinguebantur, eorumque propria denominatio evaserat illa, quam jàm pridèm cæteris compertum est fuisse communem: undè mirum non est, ad declarandam Romanorum præstantiam Presbyterorum, eam interpretationem à Leone *Cardinalis* nomini datam fuisse

In Epist. ad Mich. Imp. cap. 32. pag. 185.

fuisse (qua tamen non explicavit, cur in aliquibus quoque Ecclesiis Presbyteri, & Diaconi *Cardinales* nuncupati extiterint), cùm id tantùm ostendere in animo habuerit, quàm congruenter, & quàm rectè Romani Presbyteri sibi à *cardine* nomen sumpserint; tùm quia, ut dicit Bellarminus, hæc nominis *Bellarm. ut* *Cardinalis* facta à Leone explicatio rectè quidem *supra.* docet, cur *Cardinales* Romanæ Ecclesiæ dicantur præ cæteris, & per antonomasiam *Cardinales* non verò ostendit, cur simpliciter *Cardinales* dicantur, cùm constet, etiam alibi fuisse *Cardinales*.

Causa igitur, ob quam iidem Romani Episcopi, Presbyteri, & Diaconi cognomentum illud sibi potissimùm vindicaverint, ea potiùs fuisse videtur, quam affert Petrus Episcopus his verbis: [Mul- *Petr. Episcop.*
„ titudo Presbyterorum, & Diaconorum forensium
„ ad Urbem concurrentium causam dedit, ut ur-
„ bani Presbyteri, & Diaconi ab eis distingueren-
„ tur nomine *Cardinalis*]; & eo certè planè modo, quo ipse Romanus Pontifex Papæ vocabulo *Magr. notit.* contradistinctus est, cùm tamen antiquitùs omnes *vocab. Eccles.* Catholici Sacerdotes Papæ nuncuparentur, sic Pres- *verbo* Papa. byteros, & Diaconos S. R. E. (juxtà hanc Petri Episcopi opinionem), ut à cæteris aliarum Ecclesiarum Diaconis, & Presbyteris secernerentur, *Cardinalium* cognomine appellatos censendum est.

Calvinus autem, teste Bellarmino, antè Gre- *Bellarmin.* gorii tempora, dicit se non legisse nomen *Cardi- ut supra.* *nalis*; deindè: [Hic Titulus, inquit, Gregorii ætate in

„ in solos Episcopos competebat, nàm quoties meminit *Cardinalium*, non Romanæ Ecclesiæ, sed „ aliis quibuslibet eos attribuit, ut in summà nihil „ aliud sit Sacerdos *Cardinalis*, quàm Episcopus]; verùm & hoc impii mendacium eluditur; nam, ut Bellarminus ipse optimè adnotavit, ignoravit profectò Hæreticus, in Concilio Romano sub Silvestro can. 6. scriptum fuisse, septem extitisse Diaconos *Cardinales* in Romanà Ecclesià, cùm tamen evidens sit, Silvestrum præcessisse Gregorium annis ferè trecentis; & quod magis interest, in eodem Concilio *Cardinalis* nomen nec incœpisse, nec *Cardinales* institutos fuisse, cùm tantùm ab ipso Decretum emanasse deprehendatur, ut præter *Cardinales* Diaconos Romanæ Ecclesiæ, essent etiam duo Diaconi ad examen Paræciarum.

Conc. Rom. sub Silvestro can. 6.

Quod verò S. Gregorii tempore *Cardinalis* nomen proprium dumtaxàt fuerit Episcoporum, falsitatis arguitur ab allatis Gregorii ejusdem auctoritatibus, & insuper ab ipsius Epist. 11. lib. 5. ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, in qua *Diaconos Cardinales* memorat; & ex lib. 11. Epist. 14. ad Joannem Episcopum Siracusanum, in qua meminit *Presbyterorum Cardinalium*; præterquamquod Joannes Diaconus lib. 3. Vitæ Sancti Gregorii cap. 7. enumerat Episcopos, quos S. Gregorius ex *Presbyteris Cardinalibus* fecerat; non igitur verum est (ex his præmissis optimè infert Bellarminus), idem esse apud Gregorium *Episcopum*, & *Cardinalem*.

Gregor. epistol. 11. lib. 5.

Idem lib. 11. epist. 14.

Jo. Diacon. Vita S. Greg. lib. 3. cap. 7.

Verùm

Verùm licèt validissimis hisce rationibus Calvini mendacia retundere Bellarminus videatur, non tamen omninò Hæretici impudentissima sophismata diluisse cognoscitur, dùm non tantùm asserere falsò conatus est, Gregorii ætate *Cardinalis* nomen solis Episcopis competiisse, sed insuper *Cardinalis* nomen, non Romanæ Ecclesiæ, sed aliis quibuslibet à Gregorio fuisse attributum; undè inferre voluisse deprehenditur, solos Presbyteros, & Diaconos Romanæ Ecclesiæ impropriè iccircò id sibi nunc vindicasse.

Sed cùm suprà demonstratum sit, *Cardinalis* vocabulum in Ecclesià Romanà sub Silvestro, primò usurpatum, immò antè Silvestrum repertum, ut probat idem Bellarminus; fateri procul dubio necesse est, propriè in eà fuisse inventum, & ex ipsà postmodùm reliquas Ecclesias illud accepisse. Quod autem in eà propriè inventum fuerit, facilè ostendit id, quod reliquæ antè ipsam Ecclesiæ illud penitùs ignoraverint, cùm in Ecclesiasticis monumentis ipsum, antè Romanam Ecclesiam, aliis attributum fuisse minimè reperiatur; quod vero ab illà hæ ipsæ Ecclesiæ illud didicerint, probatur ex eo, quod vocabulum acceperint in se ipsis penitùs inusitatum, & in Romanà tantùm Ecclesià adinventum. Iccircò si, ut diximus, in Ravennate, Mediolanensi, Neapolitanà, &c. Ecclesiis *Cardinales* reperiuntur, inferri ex hoc nequit, ab iisdem Ecclesiis Romanam *Cardinalis* nomen mutuatam fuisse, immò è contrà ab eà potiùs alias Ecclesias illud accepisse dicendum

est; quapropter cùm ad similitudinem tantùm Romanæ, reliquas Ecclesias vocabulum illud sumpsisse appareat, hinc mirum non est, in Ecclesiâ Romanâ, in qua propriè inventum fuit, ad significandos ipsius Episcopos, Presbyteros, & Diaconos alicui addictos *Titulo*, & Ecclesiæ, perseverasse; secùs in aliis, quæ ipsam tantùm imitatæ sunt. Qua etiam ratione non solùm Calvini deliramenta, sed etiam Petri Episcopi allata corruit opinatio; nàm Ecclesiæ Romanæ Episcopi, Presbyteri, & Diaconi à forensibus, hoc addito *Cardinalis* nomine, nequiverunt esse sejuncti, cùm semper illud habuerint; sed ab aliis distincti sunt, ex eo quod illi, vel tanquàm proprium *Cardinalis* nomen non habuerunt, vel non semper gesserunt, vel tandem ut sibi non aptum, & competens dimiserunt.

Petr. Episc. ut supra.

Qua verò ratione vocabulum *Cardinalium* Romanorum aliæ quoque Ecclesiæ sibi vindicaverint, suprà ostendimus, cùm ethymon *Cardinalis* traderemus, & *incardinare* idem fuisse, ac in aliquâ Ecclesiâ *statuere*, & *addicere*, demonstravimus. Undè & Emi Card. Bellarmini, ut innuimus, sententiæ adhærere haud possumus, qui nempè putavit, *Cardinalis* nomen primò impositum fuisse loco, & à loco postmodùm ad personas derivasse; idque ità probare contendit, [quod autem à loco cœperit hoc „ nomen, cognosci potest ex Concilio Meldensi „ can. 54., ubi sic legitur: (Ut *Titulos Cardinales* „ in Urbibus, vel Suburbiis constitutos Episcopus

Bellarminus ut supra.

Conc. Melden. can. 54.

cano-

„ canonicè ordinet, & disponat); item ex Joanne
„ Diacono in Vità Sancti Gregorii lib. 3. cap. 11., *Jo. Diacon. Vita S. Greg. lib. 3. cap. 11.*
„ ubi sic ait: (*Cardinales* violenter in Paræciis
„ ordinatos forensibus, in pristinum *Cardinem*
„ Gregorius revocabat), ubi *Cardinem* vocat *Car-*
„ *dinalem Titulum*, sivè Ecclesiam].

Ità Bellarminus, qui certè minimè probat, quod excogitavit, nempè à loco *Cardinalis* nomen exortum fuisse; nàm præterquamquod in Ecclesiasticis monumentis *Titulorum* nemo *Cardinis* nomine appellatus recensetur; ex *Titulis Cardinalibus*, quos Concilium Meldense memorat, non educitur insuper vocabulum loco aptatum, fuisse loci; sed potiùs è contrà personarum, videlicèt *Cardinalium*, in *Titulis* constitutorum intuitu aptatum loco. Sicut enim communi loquendi usu didicimus, Ecclesiam hanc, vel illam Prædicatorum, Minorum, Carthusianorum, &c. dici, quia à Carthusianis, Prædicatoribus, Minoribus illæ Ecclesiæ Divinis Officiis frequentantur; ità planè, non à *Titulis* nomen sumpsisse, sed potiùs *Cardinalitium* suum nomen *Titulis Cardinales* dedisse credendum est; & existimandum, *Titulos* haud vocatos fuisse *Cardinales* alià de causà, quàm ex *Cardinalibus* iisdem addictis.

Quod verò Joannes Diaconus *Cardinem* nuncupet *Titulum Cardinalitium*, ità accipiendum est, quod à *Cardinalibus* ipsis *Titulis* addictis, hoc eis vocabulum attribuendum, optimum duxerit; undè *Jo. Diacon. ut supra.*

non benè infertur iccircò, quod à *Cardine Titulorum*, *Cardinales* ità sint dicti, cùm potiùs à *Cardinalibus* addictis Ecclesiis, *Cardinis* nomen aptatum censeri possit Ecclesiis; vel saltèm, cùm æquè *Tituli Cardines*, & *Cardinales* nuncupari potuerint à Presbyteris in eis constitutis, & Presbyteri *Cardinales* viceversà nomen reportare à *Titulis*: ex æquivocis hisce Bellarmini fundamentis, quid solidum elici possit, haud facilè deprehenditur.

CAPUT VIII.

De Numero Titulorum, *& ubinàm constituti.*

CUm Eminentiss. Cæsare Card. Baronio *Titulorum* in Urbe divisionem factam fuisse antè Evaristum, meritò igitur statuimus, immò à Cleto ex Principis Apostolorum præcepto. At cùm *vigintiquinque Presbyteros* hic ordinaverit, quibus in *Titulis* distributis Romanæ Ecclesiæ administrationem demandatam fuisse ostendimus; hinc & laudato Baronio, & aliis, qui *Titulorum* multiplicationem à nonnullis Pontificibus factam recensent, adhærere non possumus, cùm à Cleto usque ad Silvestrum *vigintiquinque Titulos*, juxtà numerum *Presbyterorum* Urbis, semper stetisse arbitremur. Undè quod apud Anastasium legitur in Evaristo: *Anastas. in Evaristo.*
„ [Hic *Titulos* in Urbe Romà divisit *Presbyte-*
„ *ris*, *&c.*]; & Baronius explicat de *Titulis* recens *Baron. anno 112.*
ab

ab eo institutis, haud sic intelligendum putamus; sed divisionem factam *Titulorum* ab Evaristo *Presbyteris*, non quidem de novis additis *Titulis*, sed de antiquis, restitutis aliis *Presbyteris*, in locum illorum, qui antè obierant, vel Martyrio consumpti fuerant, accipiendam esse existimamus. Quod similiter dicendum de Hygino, de quo pariter traditur:
„ [Quod *Clerum* composuit, & distribuit gradus]; *Anastas. in Hygino.*
de Dionysio, de quo scriptum est: [Quod *Presbyteris* Ecclesias divisit; & Cœmeteria, & Parochias Diœceses instituit]; & tandem de Marcello, de quo perhibetur: [Quod *vigintiquinque Titulos* in Urbe Romà constituit, quasi *Diœceses* propter Baptismum, & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis, & propter sepulturas Martyrum]. Nàm (ut observat laudatus Baronius, præsertim in Dionysio, & sic de aliis dicendum) Dionysius nec divisionum Ecclesiarum, nec Paræciarum, aut *Diœcesum* institutor fuit, sed quòd in persecutione Valeriani ab Ecclesiis essent eliminati *Presbyteri*, & Cœmeteria prohibita; pace Ecclesiæ restitutà à Gallieno, ipse Dionysius easdem Paræcias, & *Titulos*, ac Cœmeteria iterùm aliis *Presbyteris* assignavit. His autem *vigintiquinque Titulis*, qui tamdiù in Ecclesià Romanà permanserunt, *Titulum Equitii* addidit Silvester, *Titulum Marci* Marcus I. Pontifex, & *Titulum Sanctæ Mariæ Transtiberim* Julius I. Qua verò ratione hic *Cardinalium* numerus creverit,

Idem in Dionysio.

Idem in Marcello.

Baron. anno 270.

rit, narrat Honuphrius Panvinius hoc modo:

Honuphrius Panvin. de Cardinalibus pag. 17. Pandulphus Pisanus in Vita Gelasii II.

„ [Perduravit autem sic 28. ***Presbyterorum Cardinalium*** integer numerus, ut habetur ex „ Pandulpho Pisano in Vitâ Gelasii II., usque ad „ Honorii Papæ II. tempora, annumque Christi 1125., quo tempore religiosus hic ordo paulatìm labefactari cœpit; morientibus enim ***Cardinalibus Presbyteris***, tunc primùm ***Titulis*** ipsis „ suo Rectore orbatis, per Pontificem de novo „ ***Presbytero Cardinali*** provideri desitum, neque, „ ut antiquitùs consuetudo erat, statìm in defuncti „ locum, alter ampliùs subrogabatur ***Presbyter Cardinalis***; quare factum est, ut sensim numerus „ ***Presbyterorum Cardinalium*** decrescere cœperit, „ & adeò diminutus paulatìm est, ut aliquando „ tempus fuerit, in quo nonnisi duo ***Presbyteri*** „ ***Cardinales*** viventes in Collegio essent, ut sub „ Alexandri Papæ IV. obitu, & creatione Urbani IV.

„ Cur autem Honorius ipse II. id primùm cœperit, & ejus exemplum sequentes Romani Pontifices imitati sint, causa hæc fuit: Sub prædecessore Honorii II., videlicèt Calixto II., pax inter „ Romanam Ecclesiam, & Imperium (sub Henrico V. post longissimum dissidium, & multa schismata ob Sacerdotiorum investituras exorta) reformata fuerat, in qua inter cætera multa cautum „ fuit, ut Romani Pontificis electio ad ***Cardinales***, „ Clerumque urbanum pertineret, neque ampliùs

Impe-

„ Imperatores jus aliquod, ut hactenùs habuerant, „ haberent in Romanorum Pontificum creationibus. Cùmque ob *Cardinalium* multitudinem, „ pleraque schismata in novis Romanorum Pontificum creationibus orirentur (nondùm enim lex „ instituta erat de duabus partibus *Cardinalium*), „ hoc malum repressuri Romani Pontifices, *Cardinalium* numerum paulatìm diminuere cœperunt, „ & qui priùs additis 18. Diaconis certus, & determinatus erat, videlicèt quinquaginta trium, sensim dilabi, & ad incertum numerum reduci cœpit, primò enim ex 53., sub Innocentio II., vel „ Cælestino II. 40. esse cœperunt, mox 35., deindè 30., posteà 25., ad hæc 20., posteà 15., „ vel 10., postremo, ut dixi, ad eam paucitatem „ aliquando redacti sunt, ut non essent nisi septem „ *Cardinales* viventes, videlicèt tres Presbyteri, „ & quatuor Diaconi, ut quando creatus fuit Nicolaus Papa III.; etenim *Cardinalium* numerus „ usque ad id tempus, quo pauciores *Cardinales* „ nunquàm fuerunt, diminui non desiit; post quod „ sensim augeri cœpit, ut essent 15., post 20., ut „ sub Bonifacio VIII.; Avenione deinceps eorum „ numerus iterùm crescere cœpit, nunquàm tamen „ usque ad Sixti IV. Pontificatum, 30. numerum „ attigerunt; præsertìm cùm in Concilio Constantiensi cautum fuerit, nè plures, quàm 24. *Cardinales* viventes simùl essent. Primus Papa Sixtus IV., nullà habità ratione Concilii Constantiensis,

„ tiensis; *Cardinalium* numerum suprà omnes
„ prædecessores suos maximè ampliavit, cujus exem-
„ plum optimè sequutus est Alexander Papa VI.
„ Nullus tamen horum Pontificum antiquum 53.
„ numerum excessit, ut essent videlicèt *Cardinales*
„ plures, quàm 53., cùm nec eum numerum atti-
„ gerint.

„ Sed omnium Romanorum Pontificum primus
„ fuit Leo X., qui antiqui instituti ratione non
„ habità, magnà illà 31. *Cardinalium* creatione,
„ veterem, & antiquum à nullo unquam Roma-
„ norum Pontificum excessum numerum 53., longè
„ superavit; nàm sub Leone X. plùs, minùs 65.
„ *Cardinales* simùl viventes fuerunt; quod nun-
„ quàm aliàs contigerat post fundatam Romanam
„ Ecclesiam. Ejus exemplum sequuti sunt Paulus III.
„ & qui nunc vivit, Paulus IV., prior enim ad 63.
„ numerum *Cardinalium* auxit, sequens ad 70.,
„ quem quoque numerum nunquàm prætereà fuisse
„ satis constat.

„ Cùm igitur *Presbyteri Cardinales* numerum
„ illum 28. excesserint, novis *Titulis* opus fuit,
„ ut novis illis tribuerentur *Cardinalibus*, qui 28.
„ numerum excesserant, qui per diversos Pontifices
„ facti sunt; quod etiam ob aliam rationem facere
„ coacti sunt Romani Pontifices: in Romanà enim
„ Ecclesià abusus inolevit, ut unus *Cardinalis* duo
„ aliquando habuerit Sacerdotia Cardinalitia. Hoc
„ autem præsertìm *Episcopi Cardinales* fecerunt,
qui

„ qui *Episcopi* facti, priorem *Titulum*, vel *Diaco-*
„ *niam*, quam, antequàm essent *Episcopi* creati,
„ habebant, retinuerint; qui abusus, ut pleraque
„ alia, post Eugenii IV. tempora, & præsertim sub
„ Sixto IV. originem habuit. Julianus enim ejus
„ nepos *Episcopus* Card. Ostiensis factus, *Titulum*
„ *Sancti Petri ad Vincula* retinuit; Marcus Barbus
„ *Episcopus* Prænestinus factus, *Titulum S. Marci*
„ non dimisit. Idem fecerunt Bernardinus Cara-
„ vajal *Tituli Sanctæ Crucis*, Marcus Vogerius
„ Cardin. *Tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim*,
„ Joannes Dominicus Cuppis Cardin. *Tit. S. Lau-*
„ *rentii in Lucina*, nuper quoque Franciscus Pisanus
„ Card. *S. Marci*, & plerique alii, quos nunc enu-
„ merare superfluum est. Has igitur ob causas pri-
„ mus post mille annorum intervallum Sixtus IV.
„ Papa novum *Titulum* addidit anno 1477., qui
„ fuit *Titulus Sancti Nicolai inter Imagines* propè
„ Amphitheatrum, sivè Colosseum, quem Cardin.
„ Presbytero Petro Foscaro Veneto dedit.

„ Secundus Leo Papa X. magnâ illâ 31. Cardi-
„ nalium creatione anno 1517. antiquissimum *Ti-*
„ *tulum S. Matthæi in Merulana*, qui per mille,
„ & eo ampliùs annos *Titulus* esse desierat, resti-
„ tuit, & undecim alios novos *Titulos* fecit, qui
„ fuerunt *S. Joannis antè Portam Latinam*, *S. Cæ-*
„ *sarii in Palatio*, *S. Agnetis in Agone*, *S. Apolli-*
„ *naris*, *S. Laurentii in Pane, & Perna*, *S. Silve-*
„ *stri in Campo Martio*, *S. Thomæ in Parione*,

„ *S. Pancratii*, *S. Calixti*, *S. Bartholomæi in Insulà*, *aliàs inter Pontes*, *S. Mariæ de Capitolio*, *aliàs de Ara-cæli*.

„ Tertiò Papa Julius III. anno 1551. tres novos „ adjunxit, qui fuerut *S. Mariæ in Viâ*, *S. Barbaræ*, *S. Simeonis*.

„ Novissimè Paulus IV. anno 1557. *Titulum* „ novum adjunxit, videlicèt *Sanctæ Mariæ supra* „ *Minervam*. *Tituli* 17. novi facti, unus à Sixto, 12. à Leone, tres à Julio, & unus à Paulo IV., qui 28. antiquis adjuncti erunt omninò 45.]

Hæc Panvinius de *Cardinalium*, seu *Titulorum* numero literis tradidit. Verùm postquàm ista scripsit, qui Paulo Papæ IV. in Apostolicà Sede Pontifices suffecti sunt, & numerum pariter, & *Cardinalium Titulos*, vel immutarunt, vel auxerunt; nàm Pius IV. unum addidit *Sanctæ Mariæ ad Thermas*, Pius V. tres, *S. Hieronymi Illyricorum*, *S. Euphemiæ in Vico Patritio*, & *S. Triphonis*; & Sixtus V. suppressis aliquibus ex antiquis, decem addidit, nempè *SS. Trinitatis in Pincio*, *S. Salvatoris in Lauro*, *Sanctæ Mariæ de Populo*, *Sanctæ Mariæ de Pace*, *Sanctæ Mariæ trans pontem*, *S. Petri Montorii*, *S. Augustini*, *S. Blasii de Annulo*, *S. Alexii*, & *S. Onuphrii*; & Urbanus VIII. prædictis addidit *Sanctum Carolum ad Cursum*.

Verùm ex undecim novis *Titulis*, quos fecisse

ciſſe Leonem X. narrat Panvinius, novem tantùm ab eo recens electos fuiſſe deprehenditur; nàm *Calixti Titulus* antiquus erat, & (ſi Oldoino credimus) erectus jàm anteà fuerat à Calixto III. Alterum verò *Sancti Cæſarii Titulum* ſubſtitutum dumtaxàt aſſerit in locum deleti *Tituli Veſtinæ*, vel *S. Vitalis*; quapropter Sixtus V. ejecto *S. Cæſarii*, *S. Vitalis* Eccleſiæ *Titulum* denuò reſtituit; at Clemens VIII. inſtauratà *Sancti Cæſarii* Eccleſià, rursùs Eccleſiam *S. Vitalis* Cardinalitio privavit *Titulo*, ut illam ornaret. Ex Eccleſiis autem, quas *Titulares* dixit Julius III., una tantùm hodiè hoc inſignita decore reperitur, nimirum *Sancta Maria in Vià*. Paulus V. *Sancti Calixti* Eccleſiam à Leone X., ut diximus, rursùs *Titularem* redditam, poſteà abjectam, denuò reſtituit; *Titulum* autem *S. Blaſii de Annulo* ob dirutam ejus Eccleſiam ſuppreſſit, & ad *S. Caroli*, non longè illinc extructam Eccleſiam *Titulum* eundem traduxit. Tandem Innocentius X. III. Non. Octob. 1654. ſuppreſſo *Titulo in Agone*, Card. Baccio Aldobrandino providit de *Titulo Sanctæ Agnetis extrà mœnia*. His verò ſimiles *Titulorum* mutationes, aut ſubrogationes factas quoque fuiſſe ab antiquis Pontificibus, quæ infrà narrabimus, manifeſtè oſtendent. Nunc ponenda, quæ de numero *Cardinalium*, qui *Titulis* adjiciendi ſunt, Sixtus Papa V. præcepit, cùm videlicèt ipſum numerum, ultrà quem progredi non liceret, conſtituit; dicit enim:

Oldoinus ad Ciacon. in Calixt. III.

Bullar to. 2. pag. 566. Sixtus V.

„ [Primùm igitur cùm ità expofcente rerum, ac
„ temporum qualitate, & occafione, receffum fue-
„ rit à veteri illo more admodùm paucos viros in
„ Sacrum Collegium adfcribendi, jàmque plures
„ noftra ætate *Cardinales*, quàm antiquitùs in
„ ipfum Collegium cooptari confueverint, tùm ut
„ juxtà Generalis Concilii Tridentini Decretum,
„ omnium Chriftianitatis Nationum ratio habea-
„ tur; tùm quia in eodem Collegio multi, quæ eft
„ humani corporis infirmitas, fenectute, vel mor-
„ bis frequenter gravati, haud commodè tanto
„ oneri affiduè fuftinendo fufficere queunt, ut in
„ hoc moderatio congrua adhibeatur, & certi limi-
„ tes præfcribantur, nè vel ad veterem illam pauci-
„ tatem eos redigamus, vel rursùs eorum honor
„ nimià, ac fuperfluà numerofitate vilefcat, quod
„ interdùm & nos ipfi dùm in minoribus effemus,
„ vidimus, & experti fumus; ac ut veteris Syna-
„ gogæ figura Sanctæ, & Apoftolicæ Ecclefiæ veri-
„ tati refpondeat, fequi cupientes mandatum Do-
„ mini factum ad Moyfen, de congregandis feptua-
„ ginti Viris de fenibus Ifrael, quos noffet fenes po-
„ puli effe, & Magiftros, ut fecùm onus populi fu-
„ ftentarent, & non ipfe folus gravaretur, fuper
„ quos ad oftium Tabernaculi ductos, loquente
„ Domino, fpiritus requievit, de prædictorum Fra-
„ trum noftrorum confilio perpetuò ftatuimus, &
„ ordinamus, ut in pofterum, connumeratis omni-
„ bus cujusque Ordinis *Epifcopis*, *Presbyteris*,

& Dia-

„ & *Diaconis Cardinalibus*, qui nunc sunt, qui-
„ quo in futurum creabuntur, cuncti simul nu-
„ merum *septuaginta* nullo unquàm tempore
„ excedant, ac talis numerus quovis prætextus,
„ occasione, vel causà etiam urgentissimà minimè
„ augeatur. Quòd si unum, vel plures à nobis, vel
„ pro tempore existente Romano Pontifice in futu-
„ rum ultrà dictum numerum eligi in *Cardinalem*,
„ aut creari, aut pronunciari contigerit, decerni-
„ mus hujusmodi electionem, creationem, & pro-
„ nunciationem nullam, irritam, & inanem fore,
„ & censendam esse, nullumque jus, seù Titulum
„ re, aut nomine sic electo, seù electis acquiri, ne-
„ que eorum quemquam pro *Cardinali* haberi, aut
„ reputari posse, aut debere, neque dictam electio-
„ nem, creationem, pronunciationem ab initio
„ invalidam, & ultrà numerum factam, si posteà
„ ad præscriptum numerum, moriente uno, vel
„ pluribus *Cardinalibus*, ipsum Collegium rediga-
„ tur, propterea ex post facto convalescere, sed uti
„ à principio, sic deinceps in perpetuum nullius fore
„ roboris, vel momenti]. Sic Sixtus.

CA-

CAPUT IX.

Quenam Sanctorum MARCELLINI, & PETRI Basilica Presbyteri Cardinalis Titulo *fuerit insignita*.

P*Resbyterorum* autem *Cardinalium Tituli* non tantùm immutationibus fuere subjecti, cùm crebris varietatibus contigit, eorundem *Presbyterorum Cardinalium* numerum vel minui, vel augeri; sed etiam cum ille immobilis *viginti octo Presbyterorum* in Ecclesià Romanà adhuc perseveraret; quapropter Magni Gregorii ævo, vel circitèr, ut testatur Onuphrius Panvinius (cujus sententiam omnes ferè Scriptores confirmant), septem *Tituli* immutati sunt: [Eos enim septem, inquit, „ circa Gregorii Papæ Primi tempora, sivè paulò „ antè, vel obsolevisse, *Titulosque* esse desiisse, vel „ aliquos ex eisdem mutatis nominibus cum his „ aliis septem necesse est; desunt enim:

Onuph. Panvin. ut supra pag.10.

Titulus S. Crescentianæ.
Titulus Fasciolæ.
Titulus S. Caii.
Titulus S. Matthæi in Merulana.
Titulus S. Aemilianæ.
Titulus S. Nicomedis, &
Titulus Tigridæ.

„ Pro quibus in actione Synodi Romanæ sub Gregorio

„ gorio Papa Primo celebratæ, & apud Anastasium
„ Bibliothecarium hos septem repositos fuisse inveni:

Titulum S. Balbinæ in Monte Aventino.
Titulum SS. Nerei, & Achillei.
Titulum S. Sixti.
Titulum SS. Marcellini, & Petri.
Titulum S. Crucis in Hierusalem.
Titulum S. Stephani in Monte Cœlio, &
Titulum SS. Quatuor Coronatorum.

„ Qui viginti uno prioribus (qui semper permanse-
„ runt) adjuncti, viginti octo numerum explent,
„ quique omnes, uno excepto, nostrà adhuc ætate
„ extant. Deest enim *Titulus S. Cyriaci in Ther-*
„ *mis Diocletiani*, qui cum præ vetustate corruisset,
„ eo Templo solo æquato *Titulus* à Sixto IV. ad
„ Ecclesiam *SS. Quirici*, & *Julittæ* translatus est,
„ ubi & nunc quoque manet].

Ista Panvinius. At ex adnotatis *Titulis* quinque tantùm, non septem mutati reverà fuerunt, nam *Tituli SS. Nerei, & Achillei*, & S. *Sixti*, in antiquis erant sub *Fasciolæ*, & *Tigridis* nomine recensiti. *Titulum* verò *S. Matthæi in Merulana* restituit, ut diximus, Leo X., *Titulum* autem *SS. Nerei, & Achillei*, seu *Fasciolæ* penè collapsum clar. mem. Cæsar Card. Baronius refecit, & ornavit sub Clemente Papa Octavo, & *Titulum* demùm *S. Caii* insigni admodùm munificentià Urbanus item Octavus pristino decori reddidit.

Oldoin. in addition. ad Ciaccon. in Hygino.

Petr. Frizon. in appar. ad Gall. purpur.

Quæ-

Quænam verò ex *Basilicis* Sanctorum nostrorum Martyrum Marcellini, & Petri, *Presbyteri Cardinalis Titulo* sub Gregorio insignita fuerit, modò est inquirendum. Cùm enim longè præstantiorem fuisse eam, extrà Urbis mœnia *inter duas lauros* à Constantino constructam, in qua condita Sanctorum corpora colebantur, alterà, quæ *propè Lateranum* erat constituta, omnibus perspectum sit; hinc meritò dubitari potest, an illa potiùs, quàm ista *Cardinalitio Titulo* fuerit exornata. Dubitationem siquidèm fovet illud, quod Veteres, ut animarum, æquè divitum, ac pauperum utilitati consulerent, *Titulos* etiam in Suburbiis statuere consueverint, ut constat ex alibi allato Can. 54. Concilii Meldensis; nam præcipit: [Ut *Titulos Cardinales* in Urbi-
„ bus, vel Suburbiis constitutos Episcopus canonicè
„ ordinet, & disponat], & ex Jo. Diacono in vità
„ S. Gregorii; ubi sic ait: [*Cardinales* violentèr in
„ Paræciis ordinatos forensibus, in pristinum Car-
„ dinem Gregorius revocabat]. Cùm igitur *Tituli* æquè constitui possent intrà, & extrà Urbes; cur excogitari rationabilitèr non valet, insigniorem Sanctorum Marcellini, & Petri *Basilicam Cardinalitio Titulo* fuisse decoratam, & minimè ad alteram *propè Lateranum Cardinalitium* eundem *Titulum* pertinuisse?

Conc. Melden. can. 54.

Jo. Diacon. vita S. Greg. lib. 3. cap. 11.

Nihilominùs istam, non alteram extrà Urbem Marcellini, & Petri *Basilicam*, *Titulum Presbyteri Cardinalis* fuisse semper, affirmamus; nec à

Con-

Concilii Meldensis, nec à Jo. Diaconi auctoritate nostram labefactari opinionem credimus; quia uterque nimirùm de *Titulis Cardinalibus* quidèm loquuntur, sed tamen non *de Titulis Cardinalibus Urbis*, de quibus nos in præsentia disserimus. *Tituli* enim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Presbyterorum Cardinalium* non alibi, quàm intrà Urbis mœnia constituti semper extiterunt, ut apertè colligitur ex epistolà primà Innocentii Papæ Primi, qui Decentii consultationibus respondens, sic dicit:

„ [De fermento verò, quòd die Dominicà per „ *Titulos* mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes *Ecclesiæ nostræ intrà Civitatem* „ sint constitutæ]; quæ verba explicans eruditus Severinus Binius, ait: [De *Titulis* tantùm intelligit, non quidem, quod non essent in Suburbiis „ aliæ complures Ecclesiæ, atque Sanctorum memoriæ, sed quod nulla prorsùs *Titularis* esset, in „ qua populus colligi consuèverit]; & de fermento interpretationem faciens: [Illæ *Ecclesiæ* (subdit), „ ad quas Papa fermentum mittit, *intrà Urbem* „ sint constitutæ, foras efferri non permittat, quòd „ Sacramenta non sint longè portanda, ac perindè „ Romanæ Ecclesiæ exemplo, fermentum extrà „ mœnia ab illis Ecclesiis, non rectè mittatur].

Conc. Gen. Labbè tom. 2. Innocent. I. can. 5.

Severin. Bin. ibid. in adn.

Ibid. ut sup.

Erant igitur antiquitùs extrà Urbis mœnia Basilicæ constitutæ, sed tamen nulla earum *Titularis*; non quidem, quod extrà Urbem, vel Martyrum *Tituli* non essent, vel Fideles non existerent, vel

ipsorum sollicitudo negligeretur, sed quia vel ex *viginti octo Urbis Titulis*, vel ab alio, quàm à Pontifice, qui ad solas *Titulares* Ecclesias intrà Urbem fermentum mittebat, fermentum in Suburbiis Ecclesiæ constitutæ acciperent, quæ iccircò curam quidem animarum, ut *Tituli*, gerere poterant, sed tamen Urbis *Tituli* eà de causà non erant; vel melius, quia hoc per ipsos *Presbyteros in Urbis Titulis* constitutos implebatur. Summi enim Pontifices, & inter eos Dionysius Papa cum propriam cuique *Presbytero* certis præscriptam limitibus *Diœcesem* destinavit, ipsorum etiam jurisdictionem in Suburbiis Urbis, singulis præfixisse, manifestè ostendit, nam scribens ad Severum Episcopum Cordubensem sub anno 270. v. Idus Septembris: [*Ecclesias* singulas, inquit, singulis *Presbyteris* dedimus, Parochias, & Cœmeteria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus]. Si igitur Romanis *Presbyteris* Dionysius non tantùm Parochias divisit, sed insupèr etiam Cœmeteria; cùm hæc in Suburbiis essent, consequens est, ut in his quoque jurisdictionem eis impertitus fuerit; quapropter dicendum est, *Titulos*, illorumque Ecclesias stetisse quidem in Urbe, *Diœceses* autem *Titulorum* Suburbia comprehendisse, in quibus iccircò *Titulos* statuere necesse non fuit, cùm per *Presbyteros* Urbis *Titulis* addictos, omnia aut pietatis, aut pastoralia munera, prout opus erat, in eis adimplerentur.

Dionys. Papa epist. 2.

Nec obstat, quod modo *Titulorum Presbyterorum*

rorum Cardinalium nonnulli extrà Urbem sint constituti, ut *S. Pancratii in Viâ Aureliâ*, quem Leo X. *Titulum* dixit; nam cùm eam Basilicam ipse Pontifex *Titulum* fecit, jam longè priùs *Presbyteri Cardinales* primævo, quo fungi consueverant, curæ Animarum munere se exoneraverant, & peculiares *Diœceses* dimiserant; quare vel residendi in *Titulis* onere, vel Dominici gregis pascendi officio levati, cùm in solà *Tituli* Ecclesià jurisdictione potirentur, & penè solo *Tituli* vocabulo gauderent, parùm interfuit, vel intrà, vel extrà Urbem eorundem *Titulos* constituisse. Quod primis temporibus haud esse potuit; nam arctissimà residendi obligatione constricti, aliò demigrare nequibant; undè à Leone IV., ut suprà dictum est, *Anastasium Presbyterum Cardinalem S. Marcelli* in Romanà Synodo depositum fuisse reperimus, quòd suum *Titulum* deseruerat, & monitus residere neglexerat. *Titulos* autem, apud quos residere tenebantur, eà de causà in Urbe fuisse arbitramur, ut ubi major hominum esset frequentia, ibi etiam sollicitior foret Pastoris præsentia; undè cùm ex recensitis *viginti, & octo antiquis Titulis* nemo extrà Urbem constitutus reperiatur, ineptum procul dubiò est, nostrum Sanctorum MARCELLINI, & PETRI extrà Urbem positum excogitare.

Baron. ann. 852.

Franc. Albit in discep. de Jurisdict. Card. in Tit.

Ciacron. in Leon. IV

Anastasius Bibliothec. in Leon. IV.

Cùm autem inter *Titulos*, qui Gregorii ævo defecerunt, adnotetur, ut diximus, ille *S. Matthæi in Merulanà*, alienum forsitan à veritate non erit, si censeatur, ejus loco suffectam fuisse hanc nostram

Sanctorum Martyrum Basilicam; nam loci propinquitas suadet, ipsam ejus *Tituli* vices suscipere debuisse, eamquè utpotè omnibus proximiorem, pastoralia illius munia solam recepisse, meritò credendum est.

CAPUT X.

De Litaniâ Septiformi *tempore S. Gregorii Magni*, *&* *de* Basilicâ Sanctorum MARCELLINI, & PETRI, *ipsius* Litaniæ *occasione*.

EJusdem Magni Gregorii ævo, imò Pontificatus illius anno primo, Domini autem 590., apud Ecclesiasticos Scriptores, præsertim verò apud Gregorium Turonensem, memoria occurrit *Basilicæ* Sanctorum MARCELLINI, & PETRI, cum ab iisdem recolitur insignis ea *Litania Septiformis*, quam ad avertendam divinam iram ab Urbe, sævissimâ lue vastatâ, Sanctissimus idem Pontifex fieri mandavit.

Greg. Turon. histor. lib. 10. cap. 1.

Litania autem hæc multimodè vocata reperitur, nempè *Gregoriana*, vel *Romana*, à Româ, & à Gregorio Magno; *Crucis nigræ*, quoniam in signum mœroris ex tantâ hominum strage, & in signum pœnitentiæ homines nigris vestibus induebantur, & Cruces, & Altaria nigris velis operiebantur; *Septiformis*, eo quòd B. Gregorius septeno ordine

Gulielm. Durand. Rational. Divin. Offic. lib. 6. cap. 102.

dine

dine iri in eà præceperit; *Major*, quia in Majori loco, scilicèt Romæ; & à Majori, scilicèt à Magno Gregorio, & pro magno, & gravissimo morbo inventa fuerit. Reverà tamen, an eam Gregorius instituerit, quæstio inter Auctores, contendente Baronio, eam tantùm à Gregorio restitutam, & ad Sanctum Petrum directam; negante Serario, qui eundem Gregorium *Litaniæ* hujus Auctorem facit; nec eam primùm ad S. Petrum ire jussisse, sed potiùs ad Basilicam Beatæ Virginis direxisse, demonstrat. Cur autem hæc eadem *Litania* ad diem 25. Aprilis translata fuerit, cùm alio tempore, vel instituta, vel restituta recenseatur, pluribus ostendunt iidem Baronius, & Serarius, Durandus Rational. lib. 6. cap. 102., Ordo Romanus, Alcuinus, Amalarius, Concil. Aquisgran. 2. cap. 10., Moguntin. cap. 33., Jacobus de Vitriaco, & alii. At narrationem prosequamur, quæ est apud Turonensem hoc modo:

Baron. in not. ad Martyrol. sub die 25. April.

Nicol. Serar. de Procession. lib. 2. cap. 7.

Baron ut sup. Serar. ut sup. Durand. Rational. lib. 6. cap. 102. Ordo Roman. Alcuinus. Amalarius. Conc Aquisgran. 2. c. 10. Conc Mogun. cap 33. Jacob. de Vitriac.

„ Anno quintodecimo Childeberti Regis Diaconus noster ab Urbe Romà Sanctorum cum pignoribus veniens, sic retulit, quod anno superiore mense nono, tantà inundatione Tiberis fluvius Urbem Romam obtexit, ut ædes antiquæ diruerentur, horrea etiam Ecclesiæ subversa sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Multitudo etiam Serpentium cum magno Dracone in modum trabis validæ per hujus fluvii alveum in mare descendit. Sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris turbidi fluctus littori ejectæ sunt.

Greg. Turon. histor. lib. 10. pag. 529. c. 1.

Sub-

„ Subsecuta est de vestigio clades, quam inguinariam vocant, nam medio mense xi. adveniens, primum omnium, juxtà illud, quod in Ezechiele Propheta legitur: (A Sanctuario meo incipite), Pelagium Papam perculit, quo defuncto magna strages populi de hoc morbo facta est. Sed quia Ecclesia Dei absquè Rectore esse non poterat, Gregorium Diaconum plebs omnis elegit. Hic enim de Senatoribus primis ab adolescentià devotus Deo, in rebus propriis sex in Sicilià Monasteria congregavit, septimum intrà Urbis Romæ instituit, quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua vendidit cum omni præsidio domus, ac pauperibus erogavit, & qui antè serico contextu, ac gemmis micantibus solitus erat per Urbem procedere trabeatus, nunc vili contectus vestitu, ad Altaris Dominici ministerium consecratur, Septimusque Levita ad adjutorium Papæ adsciscitur. Tantaquè ei abstinentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in jejuniis erat, ut infirmato stomacho vix consistere posset. Literis Grammaticis, Dialecticisque, ac Rhetoricis ità erat institutus, ut nulli in Urbe ipsà putaretur esse secundus. Hunc apicem attentiùs fugere tentans, ne quod priùs abjecerat, rursùm ei in sæculo de adepto honore jactantia quædam subreperet; undè factum est, ut Epistolam ad Imperatorem Mauricium dirigeret, cujus filium

Ezechiel c.9.

ex

„ ex Lavacro Sancto susceperat, conjurans, & multa
„ prece poscens, ne unquam consensum præberet
„ populis, ut hunc hujus honoris gloria sublimaret.
„ Sed Præfectus Urbis Romæ germanus ejus antici-
„ pavit nuncium, & comprehenso, disruptis Epi-
„ stolis, consensu, quem populus fecerat, Impera-
„ tori direxit. At ille gratias Deo agens pro amici-
„ tiâ Diaconi, quòd reperisset locum honoris ejus,
„ datâ præceptione ipsum jussit institui. Cumquè
„ in hoc restaret, ut benediceretur, & lues populum
„ devastaret, verbum ad plebem pro agendâ pœni-
„ tentiâ in hunc modum exorsus est.

ORATIO GREGORII AD PLEBEM.

„ [Oportet, Fratres dilectissimi, ut flagella
„ Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltèm
„ præsentia, & experta timeamus. Conversionis
„ nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duri-
„ tiam ipsa, quam patimur, pœna dissolvat; ut
„ enim Propheta teste prædictum est: Pervenit
„ gladius usquè ad animam: Ecce etenim cuncta *Jerem. cap. 4.*
„ plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repenti-
„ nâ singuli cæde vastantur, nec languor mortem
„ prævenit, sed languoris moras, ut cernitis, mors
„ præcurrit. Percussus quisquè antè rapitur, quàm
„ ad lamenta pœnitentiæ convertatur. Pensate
„ ergò, qualis ad conspectum districti Judicis per-
„ venit, cui non vacat flere, quod fecit. Habita-

tores

„ tores quique non ex parte subtrahuntur, sed pa-
„ ritèr corruunt, domus vacuæ relinquuntur, filio-
„ rum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad inte-
„ ritum hæredes præcedunt. Unusquisquè ergò
„ nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum
„ flere ante percussionem vacat. Revocemus antè
„ oculos mentis quidquid errando commisimus, &
„ quod nequitèr egimus, flendo puniamus. Præ-
„ veniamus faciem ejus in confessione, & sicut
Thren. 3. „ Propheta admonet, levemus corda nostra cum
„ manibus ad Dominum. Ad Deum quippè corda
„ cum manibus levare, est orationis nostræ studium
„ merito bonæ operationis erigere. Dat profectò,
„ dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam
Ezechiel. cap. 33. „ clamat: nolo mortem peccatoris, sed ut conver-
„ tatur, & vivat. Nullus autem de iniquitatum
„ suarum immanitate desperet; veternosas namquè
Jon. 3. „ Ninivitarum culpas triduana pœnitentia absterlit,
Matth. 27. „ & conversus Latro vitæ præmia etiam in ipsà
„ sententià suæ mortis emeruit. Mutemus igitur
„ corda, & præsumamus, nos jam percepisse, quod
„ petimus; citiùs ad precem Judex flectitur, si à
„ pravitate suà petitor corrigatur. Imminente
„ ergò tantæ animadversionis gladio, nos impor-
„ tunis fletibus insistamus. Ea namquè, quæ in-
„ grata esse hominibus importunitas solet, judicio
„ veritatis placet; quia pius, ac misericors Deus
„ vult se à precibus veniam exigi, qui quantum
„ meremur, non vult irasci; hic etenim per Psal-
mistam

" mistam dicit: Invoca me in die tribulationis tuæ, *Psalm. 49.*
" & eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergò sibi
" testis est, quia invocantibus misereri desiderat,
" qui admonet, ut invocetur. Proindè fratres ca-
" rissimi contrito corde, & correctis operibus, ab
" ab ipso feriæ IV. primò diluculò *Septiformem Li-*
" *taniam* juxtà distributionem inferiùs designatam,
" devotà ad lacrymas mente veniamus, ut distri-
" ctus Judex, cùm culpas nostras nos punire consi-
" derat, ipse à sententià propositæ damnationis par-
" cat. Clerus igitur egrediatur ab Ecclesià Sancto-
" rum Martyrum Cosmæ, & Damiani cum Pres-
" byteris Regionis sextæ. Omnes verò Abbates
" cum Monachis suis ab Ecclesià Sanctorum Marty-
" rum Gervasii, & Protasii, cum Presbyteris Re-
" gionis quartæ. *Omnes Abbatissæ cum Congrega-*
" *tionibus suis egrediantur Ecclesià Sanctorum*
" *Martyrum* Marcellini, & Petri *cum Presby-*
" *teris Regionis primæ*. Omnes Infantes ab Eccle-
" sià Sanctorum Martyrum Joannis, & Pauli cum
" Presbyteris Regionis secundæ. Omnes verò
" Laici ab Ecclesià S. Protomartyris Stephani cum
" Presbyteris Regionis septimæ. Omnes Mulieres
" viduæ ab Ecclesià S. Euphemiæ cum Presbyteris
" Regionis quintæ. Omnes autem Mulieres con-
" jugatæ egrediantur ab Ecclesià Sancti Martyris
" Clementis cum Presbyteris Regionis tertiæ.
" *Ut de singulis Ecclesiis exeuntes cum precibus, ac*
" *lacrymis ad B. Mariæ semper Virginis Geni-*

„ *tricis Domini Dei Nostri Jesu Christi Basilicam*
„ *congregemur*, ut ibi diutius cum fletu, ac gemitu
„ Domino supplicantes, peccatorum nostrorum
„ veniam promereri valeamus].
„ Hæc eo dicente, congregatis Clericorum
„ catervis, *psallere jussit per triduum*, ac deprecari
„ Domini misericordiam; de horâ quoque tertiâ
„ veniebant utrique chori psallentium ad Eccle-
„ siam, clamantes per plateas Urbis Kyrie eleison].

Ista Turonensis, quibus planè haud consona reperiuntur, quæ Joannes Diaconus in vitâ S. Gregorii lib. 1. cap. 40. scripsit, & quæ in Registro Epistolarum ejusdemmet Gregorii lib. 11. epist. 2. extant. Nam in distributione *Septiformis Litaniæ* minimè apud istos memorata nostra Sanctorum Martyrum MARCELLINI, & PETRI recensetur *Ecclesia*; sicut nec aliæ *S. Euphemiæ*, *S. Clementis*, *SS. Gervasii*, *&* *Protasii*, pro quibus adnotatæ reperiuntur aliæ *S. Joannis Baptistæ*, *S. Marcelli Martyris*, *S. Vitalis*, *&* *S. Cæciliæ*.

Jo. Diacon. vit. S. Gregor. lib. 1 cap 40. D. Greg. in Regist. epist. lib 11. ep. 2.

Insuper in eodem Sermone inter Epistolas ipsius S. Gregorii, ut diximus, relato triplicem aliam varietatem ab eo à Gregorio Turonensi enarrato, disertè Nicolaus Serarius adnotavit, nam pro verbis illis: [*Ab ipso feriæ quartæ primo dilucu-*
„ *lo*], in Gregoriano Codice est: [*Crastinâ die*
„ *primo diluculo*], itâ ut feriâ tertiâ populum de crastinâ istâ processione alloquutus sit. Secundò, post verba illa: [Cum lacrymis veniamus], adjicitur in

Nicol. Serar. de Procession. lib. 2. cap. 7. pag. 134., & seq.

„ in Gregoriano Codice ; [nullus vestrum ad terre-
„ na opera in agros exeat ; nullus quodlibet nego-
„ tium agere præsumat, quatenùs ad Sanctæ Dei
„ Genitricis Ecclesiam convenientes, qui simul om-
„ nes peccavimus, simul omnes mala, quæ fecimus,
„ deploremus]. Variatio tertia, quòd post Catalogum Ecclesiarum adjicitur in Turonensi : [Ut de
„ singulis Ecclesiis exeuntes, cum precibus, & la-
„ crymis ad B. Mariæ semper Virginis Genitricis
„ Domini Dei nostri Jesu Christi Basilicam congre-
„ gemur, ut ibi diutiùs cum fletu, ac gemitu Do-
„ mino supplicantes peccatorum nostrorum veniam
„ promereri valeamus] ; quæ planè desunt apud Joannem Diaconum, & in allato Codice Gregoriano.

In ipso etiam tempus siletur, quo Gregorii jussu, *Septiformis Processio* hæc facienda erat, quod tamen adnotavit præfatus Turonensis illis verbis :
„ [Congregatis Clericorum catervis, psallere jussit *Ut supra.*
„ per triduum, ac deprecari Domini misericordiam;
„ de horà quoque tertià veniebant utrique Chori
„ psallentium ad Ecclesiam, clamantes per plateas
„ Urbis Kyrie eleison] ; & insupèr animadvertit Eminentissimus Baronius, allatum sermonem perperam relatum fuisse in ipsius Gregorii *Epistolarum librum xi. sub Indictione sextà*, [Quod & fefel- *Baron. anni 590. num. 8.*
„ lit, (inquit,) qui novam ejusdem Gregorii ope-
„ rum editionem elaborarunt, dum ad finem con-
„ cionis eam habitam posuerunt *sextà Indictione* ;

„ præstat quidem (subdit) hac ex parte audire Hi-
„ storicos omnes testantes, dictum ab ipso Grego-
„ rio fuisse *iv. Kalendas Septembris*, *Indictione*
*590. „ *octavà*, præsenti videlicèt anno *; cui veritati
„ certum est assentiri vetera exemplaria, quæ omnia
„ si deessent, ex veritate historiæ dicta lectio magis
„ probanda; nam cum constet, eum ad populum
„ habitum esse sermonem tempore ingruentis pesti-
„ lentiæ, eamque hoc anno contigisse, quo & Pe-
„ lagius Papa obiit, assertione ipsius Gregorii cer-
„ tum sit, neque aliquandò posteà tàm dirè, dum
„ Gregorius vixit, eam vexasse populum; planè
„ impossibile est, ut ad *sextam*, vel aliam aliquam
„ *Indictionem* referri possit. His accedit ejus, qui
„ sermoni interfuit, Diaconi Turonensis testificatio,
„ dum id factum retulit, antequàm Gregorius Pon-
„ tifex ordinaretur. Quibus quidem omnibus cum
„ æquè omnes assentiantur, qui habitam hoc tem-
„ pore eam asserunt esse orationem, cum id ipse di-
„ sertis verbis insinuet, nihil est, ut de iisdem, vel
„ leviter saltèm dubitari possit]. Hæc Baronius.

Triplices autem varietates in signato eodem
Serar. ut supra. S. Gregorii sermone, à Nicolao Serario observatas,
idem sic explicat: [Prima videtur ex eo nota,
„ quòd Diaconus Turonensis ipsum diem, qui fue-
„ rit, exprimere voluerit, *feriam* scilicèt *quartam*,
„ non autem crastinum, cùm jam præteriisset no-
„ minare. Secundam verò facilè, aut propera Dia-
„ coni exscriptio, aut Librariorum peperit incuria,
qui

„ qui unam prætervolarunt (ut non rarò, præsertim „ cum festinantèr, accidit) periodum. Quarta „ oritur ex eo, quòd aliis diebus duobus ad alias „ itum fuerit Ecclesias].

Major autem inter Scriptores disceptatio de *Litaniæ Septiformis* denunciatione, de qua à clarissimo, & eruditissimo Viro Jo. Christophoro Abb. Battello percunctati Monachi disertissimi Congregationis S. Mauri, occasione novæ editionis, quam ipsi nunc maximè adornant, omnium absolutissimam, Operum S. Gregorii, hoc sapientissimum dedere responsum.

„ [In assignandis Ecclesiis, ad quas pro publicâ „ *Litaniâ*, seù *supplicatione* diversi Urbis Ordines „ convenirent, & ex quibus posteà procederent, „ multùm discrepant duo Gregorii, Romanus, & „ Turonicus; (si tamen Gregorii nostri sit appen- „ dix sermonis *de mortalitate*, ubi *de Litaniâ Septi- „ formi* agitur), nam pro *Litaniâ* Clericorum „ Ecclesia B. Joannis hac in appendice decernitur; „ apud Greg. Turon. verò lib. 10. hist. cap. 1. Basi- „ lica SS. Cosmæ, & Damiani. Pro *Litaniâ* An- „ cillarum Dei appendix illa indicit Basilicam San- „ ctorum Cosmæ, & Damiani, at apud Gregor. „ Turonen. assignatur Ecclesia SS. MARCELLINI, & „ PETRI. Alia in ordine tùm Ecclesiarum, tùm „ personarum discrimina, quæ inter utrumque de „ hac publicâ supplicatione scribentem observare „ licet, dissimulo.

D.Greg. epist. lib.11.epist.2.

Greg. Turon. hist. lib. 10. cap.1.

Gre-

„ Gregorio Turonico, Diaconum Ecclesiæ suæ
„ testem oculatum laudanti suffragatur Paulus Dia-
„ conus de gestis Longobardorum lib. 3. cap. 25.;
„ At quæ leguntur in appendice Sermonis de mor-
„ talitate, confirmat Jo. Diaconus lib. 1. Vit. S. Gre-
„ gorii cap. 42.

Paul. Diac. de gestis Longobard. lib. 3. cap. 25.

Jo. Diacon. Vit. S. Greg. lib. 1. cap. 42.

„ Ut difficilem hunc nodum solvant, quidam
„ contendunt, sæviente in Urbe pestilentiâ, non
„ unicam, sed plures indictas à S. Gregorio publicas
„ *supplicationes*, seù *Litanias*, in quibus non idem
„ semper ordo servatus sit, aut Basilicarum, aut
„ personarum, & quæ in unâ quidem observata sunt,
„ à Gregorio Turon. descripta; quæ autem in alte-
„ râ, legi in appendice Sermonis, & à Jo. Diacono
„ relata esse.

„ At verò cum de multiplici, aut duplici *sup-*
„ *plicatione* tempore pestis habitâ scriptores omnes
„ sileant, melius fortassè dissidentes Scriptores ad
„ concordiam revocabuntur, respondendo, unius,
„ ejusdemque *Litaniæ* ordinem variè indictum, ac
„ præscriptum. Nempè cùm priùs assignatæ fuis-
„ sent hæ, & illæ Basilicæ, quò varii convenirent
„ ordines, aliæ posteà mutato consilio delectæ sunt,
„ vel quòd ampliores, vel quòd propiores forent,
„ vel quòd in Regionibus, ubi sitæ erant Ecclesiæ
„ illæ, pestis minus grassaretur; nimirùm cavendum
„ erat à locis, in quibus acriùs morbus desæviebat.

„ Juxtà priorem responsionem *Litaniâ* Ancil-
„ larum Dei, seù omnes Abbatissæ cum Congrega-

tio-

„ tionibus suis processerunt tùm ex Ecclesiâ Sanctorum Martyrum Cosmæ, & Damiani, tùm ex „ *Basilicâ* Sanctorum Marcellini, & Petri, sed „ distinctis vicibus. Juxtà alteram responsionem, „ quam nullibi legisse memini, ad alterutram tantùm Basilicam convenerunt, undè posteà procederent, etsi utraque fuisset designata]. Hæc illi.

Verùm si ex duabus eruditissimis hisce sententiis unam præ aliâ seligendi optio datur, optimam absque dubio, & alteri præferendam eam ducimus, quæ non unicam tantùm, sed plures à S. Gregorio indictas publicas *Supplicationes*, seù *Litanias* affirmat; non enim de multiplici hac, aut duplici, vel triplici *Supplicatione* tempore pestis habitâ Scriptores omnes siluisse, ut supponitur, dicendum est, cùm ex allato Gregorii Turonici testimonio contrarium evidenter appareat: [Hæc, inquit, eo di- *Greg. Turon. ut supra.* „ cente, congregatis Clericorum catervis, psallere „ jussit *per triduum*, ac deprecari Domini miseri„ cordiam]; ecce hic triduanæ à Gregorio indictæ preces; huic numero respondentes audiamus nunc *Litanias*, subdit enim illicò: [De horâ quoque tertiâ „ veniebant utrique Chori psallentium ad Eccle„ siam, clamantes per plateas Urbis Kyrie eleison]; en triduanæ *Litaniæ*, ad quas celebrandas singulis diebus horà tertià psallentium Chori per plateas Urbis transeuntes, & clamantes Kyrie eleison, ad Ecclesiam veniebant. Nec dubitationem ingerere potest id, quod psallendi mandatum *per triduum* solis

Cle-

Clericis factum referatur, & psallentium Choros ad Ecclesiam horà tertià venientium ex solis Clericis constitutos fuisse; cùm è contrà *Litaniis* interfuisse tùm Abbates, tùm Abbatissas, tùm infantes, & viduas, tùm fœminas conjugatas, ac laicos certò comperiatur: nàm ab eodem Turonensi didicimus, singulorum Ordinum enarratis Choris, Presbyteros semper adjectos fuisse; undè Abbatibus, & Monachis, Presbyteri Regionis quartæ, Abbatissis, Presbyteri Regionis primæ, infantibus, Presbyteri Regionis secundæ, & sic de singulis semper Presbyteri additi fuere. Et minimè obstat, Clerum speciatìm ab unà Ecclesià egressum dici; nàm de potiori parte Cleri in corpus unum coactà, non verò de Clero, & Clericis per Regiones Urbis divisis, hoc accipiendum esse, facilè intelligitur.

Huic annuit optimæ sententiæ Eminentiss. Baronius, cùm allata, quæ ex Codice Gregoriano, & Gregorio Turonensi, tractatur quæstio: [Sed undè *Baronius anno 590. to. 8.*
„ ista diversitas? (inquit), non aliundè puto, quàm
„ quòd cùm non semèl ejusmodi indictæ fuerint
„ *Litaniæ*, proque diversitate dierum diversæ affi-
„ gerentur in Ecclesià inscriptiones singulæ diebus
„ singulis; ex alià ipsarum alterius diei Gregorii
„ Diaconus descripserit, & ex alià alius retulerit
„ inter Epistolas. Pluries eo tempore celebratas esse
„ ejusmodi *Litanias* diversis diebus, & processum
„ quoque fuisse ad Sancti Petri Basilicam, constat
„ ex veteribus Ritualibus].

Baronio

Baronio adhæret Serarius, dicens: [Quin prima eadem *Litania* tres, ut antè nos dixit Turonensis, dies tenuit; modò ex hac, modò ex illâ processum, ut jàm patuit, Ecclesiâ, itemque in aliam, & aliam Ecclesiam. Et primo quidem die ad Cælitum omnium Principem, ac Reginam Dei Matrem videtur supplicatum, ut indicat Turonensis, sequutis verò diebus duobus ad S. Petrum, ut à Ritualibus vetustis probat Reverendissimus Baronius]. *Serar. ut supra.*

Ultimis insuper *Litaniis* fuisse processum ad Basilicam Principis Apostolorum, atque à S. Gregorio delatam Deiparæ Imaginem, quæ illa fuisse traditur, quam hactenùs in Basilicâ Sanctæ Mariæ ad Præsepe veneramur, referunt allati insignes Scriptores, qui addunt, tunc mirum quoque illud accidisse, ut cùm pervenisset procedendo Gregorius ad Molem Hadriani Tiberi adjacentem, in signum reconciliati Numinis, visus fuerit Angelus nudatum gladium in vaginam reponere, eoque signo morbi finem significare voluisse. Tunc quoque refert Sigonius, auditos in aere Angelos, qui suavissimè concinerent: *Regina Cæli*, additum verò tunc à Sancto Gregorio: *Ora pro nobis Deum, alleluja*. Quapropter cùm tùm apud antiquos, tùm apud recentiores Scriptores de multiplici *Supplicatione* tempore pestis à Magno Gregorio habitâ evidentissima testimonia consistant; quomodò asserere potuerint viri eruditissimi Congregationis S. Mauri, *Sigon lib. 1. de Regn. Ital.*

de, eà Scriptores omnes siluisse, minimè percipimus.

Id, de quo Scriptores omnes siluisse, ritè pronunciari potest, est *Litaniæ* ordinem variè indictum, & præscriptum fuisse, quod nempè priùs assignatæ fuissent hæ, & illæ Basilicæ, quò varii ordines convenirent, aliæ posteà mutato consilio delectæ fuerint; nàm rei hujus monumentum nullum reperitur, immò omninò ex allatis hujusmodi excogitatio dejicitur. Cùm enim utriusque Gregorii testimonio prima *Litania* fuerit ad Basilicam Smæ Dei Genitricis, ex enumeratis apud utrumque Gregorium Ecclesiis, quò varii congregarentur ordines, qua viâ procedendo perveniri poterat ad Molem Hadriani? Si cavendum erat à locis, in quibus morbus desæviebat, qua ratione frustrà Urbs tota circumeunda erat periculoso, & infesto itinere, cùm brevi, & facili ad solam intemeratæ Virginis Basilicam contendere oporteret? Si igitur ad Hadrianam Molem iter direxisse Gregorius dicatur, fateri absque dubio necesse est, non ad Basilicam Sanctæ Mariæ, ad quam illa via nullatenùs deducebat, sed ad alteram Principis Apostolorum pertingere voluisse, & per consequens *Litaniam* Ancillarum Dei, seù omnes Abbatissas cum Congregationibus suis processisse, tùm ex Ecclesiâ SS. Martyrum Cosmæ, & Damiani, tùm ex *Basilicà* SS. Marcellini, & Petri, sed distinctis vicibus.

Ex duabus verò SS. Marcellini, & Petri *Basi-*

Basilicis, quænam ea fuerit, ex qua *Litania* processit, breviter inquirendum. Censemus autem illam fuisse, quæ *propè Lateranum* sita est, nec alteram esse potuisse *Viâ Lavicanâ* extrà Urbem constitutam contendimus; tùm quia reliquæ à Sancto Pontifice designatæ Basilicæ, ex quibus Ordines vel Monastici, vel Clericales, vel Laici egredi jussi sunt, intrà Urbis mœnia extiterunt; tùm quia nimis incongruum visum esset, Gregorium in *Basilicâ* tam remotâ ab Urbe, ut ea erat, positâ *inter duas Lauros*, Abbatissas cum Congregationibus suis primùm cogi, deindè hinc tam longo tramite se in Urbem conferre voluisse; præcipuè infelicissimo eo tempore, quo debacchante lue, ad ejus rabiem pro viribus avertendam, inverisimile est, ingredi, & Urbe egredi pro libito vetitum non fuisse. His addas, quod ex Gregorio Turonico observare licet; cùm enim dicit, omnes Abbatissas cum Congregationibus suis egredi jussas fuisse ab *Ecclesiâ* SS. Marcellini, & Petri, subdit eum eis insimùl *Presbyteros etiam Regionis Primæ* procedere debuisse. *Regioni* autem *Primæ*, nempè *Palatinæ* proximam fuisse nostram hanc, de qua loquimur, *propè Lateranum* SS. Marcellini, & Petri *Basilicam*, ex divisione Regionum patet. Æquè igitur mandasse Magnum Gregorium, cum Ancillis Dei *Presbyteros Regionis Primæ* hac *Basilicâ* egredi, quæ erat eidem *Regioni Primæ* proxima, nemò non novit; undè qui alteram excogitare vellet *Basilicam*, ex

qua *Litania* processisset, ex hoc etiam levitatis meritò esset coarguendus.

CAPUT XI.

Homiliam VI. *S. Gregorii Magni habitam non fuisse in aliquà* Basilicarum *SS.* Marcellini, *&* Petri *probabiliter demonstratur.*

HOmilia *sexta* Magni Gregorii inscribitur *habita ad populum Dominicà tertià Adventus* in *Basilicà* Sanctorum Marcellini, & Petri, atque hoc Titulo notatur: [*Homilia* „ *lectionis ejusdem, habita ad populum in Basilicà* „ *SS.* Marcellini, *&* Petri, *die natalis eorum*, „ *Dominicà tertià Adventus Domini*]. An verò vel *die natali Martyrum*, vel in *aliquà eorundem Basilicà*, vel demùm *Dominicà tertià Adventus* celebrata fuerit, ut passìm in omnibus editis Codicibus Operum ejusdem Gregorii inscripta reperitur, multa inter Scriptores disceptatio.

D. Gregor. Oper. tom. 3.

Nonnulli enim, ut præ aliis Emus Baronius, *Homiliam* hanc à Gregorio celebratam fuisse in unà ex duabus SS. Marcellini, & Petri *Basilicis*, & *die natali eorum*, & *Dominicà tertià Adventus*, haud diffitentur. Quænam autem fuerit *Basilica*, vel ea nimirum, quæ est *juxtà Lateranum*, sive altera *inter duas Lauros*, minimè explicant.

Baron. in not ad Mart. die 2. Junii.

Bosius, & Aringhius *Homiliam* ipsam recitatam

tam fuisse & *die natali Martyrum*, & in *Basilicà inter duas Lauros* constitutà opinantur: [Verùm in
„ hac ipsâ Ecclesiâ (inquit Aringhius, de *Basilicà* nostrorum Martyrum *inter duas Lauros* extrà Ur-
„ bem sità disserens), ut probabiles quidem ratio-
„ nes nobis ultrò suadent, à Sanctissimo Pontifice
„ Gregorio habita quondam fuit *Homilia sexta* in
„ Matthæum, quæ ejusdem Ecclesiæ Titulo hunc in
„ modum prænotatur: [*Homilia habita ad popu-*
„ *lum in Basilicà SS.* Marcellini, & Petri *die*
„ *natalis eorum*]; verosimiliùs enim nobis rem
„ altiùs contemplantibus eandem in hac potiùs
„ *Ecclesià Homiliam* recitatam fuisse videtur, ubi
„ tunc temporis religioso excepta cultu Sanctorum
„ Corpora quiescebant, uti ipsi Beato Gregorio
„ mos erat, quàm in eà, quæ Lateranensem juxtà
„ Basilicam sita est, & SS. item Marcellini, &
„ & Petri Titulo decoratur]; & hanc sententiam passim ferè omnes Scriptores sequuti sunt.

Aring. Rom. Subter. lib 4. cap. 9 pag. 3; tom. 2.

Eruditissimi demùm PP. Congregationis Gallicanæ S. Mauri super hac quæstione interrogati, *Homiliam* hanc à Sancto Gregorio habitam quidem fuisse *Dominicà tertià Adventus in alterutrà Basilicà SS.* Marcellini, & Petri, se censuisse, eamque ità planè in adornatà novà Operum ejusdem S. Doctoris editione inscripsisse, responderunt; non tamen *die natalis eorum*, ob unanimem MSS. ferè triginta consensum, additamentum hoc respuentium.

Verùm

Verùm si nostram ex more sententiam prodere debemus; à relatis omnibus procul dubiò discedere cogimur. Arbitramur enim, nec *die natali Martyrum*, nec *in aliquà eorundem Basilicà* à B. Gregorio *Homiliam* pronunciatam fuisse. Constat autem, *in die natali Martyrum* Sanctiss. Pontificem ipsam non celebrasse, tùm ex auctoritate allatà 30. MSS. apud sapientissimos Patres Sancti Mauri, in „ quibus hæc additio: (*In die natali eorum*) deest; tùm etiam ex MS. Cod. Vaticano Homiliarum Sancti Gregorii, septingentorum, & ultrà annorum antiquitatem præseferente; nàm, ut accepimus à laudato Abbate Battello, qui Codicem ipsum diligenter inspexit, & observavit, hæc *Homilia* ità inscripta legitur: [*Sexta Homilia lectionis ejusdem* „ *habita ad populum in Basilicà* SS. Marcellini „ & Petri]; nihilque prorsùs dicitur de *die natali Martyrum*; uti nec etiam *de Dominicà tertià Adventus*.

Fundamentum autem, cui innixus Baronius censuit, olìm mense Decembri horum Martyrum *diem natalem*, & solennitatem celebratam fuisse, nullum aliud fuit, quàm præfata *Homilia*; dicit enim: [Olìm autem mense Decembri horum solen„ nitas agebatur, ut constat ex Inscriptione *Homi*„ *liæ sextæ* Sancti Gregorii in Euang. *habitæ ad* „ *populum* in *Basilicà* SS. Marcellini, & Petri, „ *Dominicà tertià Adventus*, *die natali ipsorum*]; at cùm de Titulo ejusdem *Homiliæ* ipsemet dubitaverit;

Baron. in adnot. ad Martyrol. Rom ad diem 2. Jun.

verit; subdit enim, [nisi sit mendum in Codice], hinc hæc eadem insignis Scriptoris dubitatio facit, ut illius sententiæ *de die natali* Sanctorum nostrorum Martyrum, cæteroquin maximi ponderis, minùs sit deferendum.

Et reverà nec diei Mortis, nec illi Translationis MARCELLINI, & PETRI, quæ forsitàn pro eorum solennitate haberi potuit, tempus illud Decembris convenire, apertè cognoscitur. Beda siquidem, Usuardus, & alii omnes, sed præcipuè Petrus in Catalogo lib. 5. cap. 78., die 2. Junii interemptos SS. Martyres tradit, qua, sicut modò, semper etiam eorundem solennitas potissimùm celebrata recensetur.

Beda, & Usuard. in Martyrol. Petr. in Catalog. lib. 5. cap. 78.

Quinto verò Kalen. Septembris illorum Sanctissima Corpora *è Sylvà Nigrà* ad S. Tiburtium *inter duas Lauros* à Lucillà, & Firminà translata fuisse testatur Archiepiscopus Trevirensis Ado in suo Martyrologio his verbis: [Quorum Corpora, „ (nempè SS. MARCELLINI, & PETRI) revelantibus „ se Beatis Martyribus, tulerunt postmodùm Lu„ cilla, & Firmina Christianissimæ fœminæ, & „ juxtà S. Tiburtium in inferiori parte cryptæ sepe„ lierunt *v. Kalen. Septembris*].

Ado in Martyrol. 4. non. Jun.

Cùm ergò ad Martyrii triumphum pervenerint invictissimi nostri Martyres die 2. Junii, qua quidem die semper Ecclesia ipsorum solennitatem meritò agere consuevit; & eorundem Corpora 28. Augusti translata fuerint; non est certè, undè adstrui

ritè

ritè poffit, vel ob ipforum Mortem, vel ob eorundem Translationem, ex folo mendofo relato Titulo, *diem natalitiam* eorum aliquando menfe Decembri celebratam fuiffe, aut *Homiliam* ad præfatam folennitatem fpectaffe.

His addas, quod Sanctus Gregorius in cæteris homiliis habitis *in die natali Sanctorum* fæpè, nifi femper, mentionem fecerit eorundem Sanctorum, quorum folennia agebantur. Teftes hujus noftræ affertionis funt Homilia tertia habita in Bafilicà S. Felicitatis *die natali ejus*; nàm in ipsà poft explanationem Euangelicæ Lectionis, [Ad quam rem „ (fubjungit) nobis idoneè confirmandam adeft „ B. Felicitas, cujus hodiè *natalitia* celebramus], Homilia quinta habita in Bafilicà B. Andreæ die feftivitatis ejus, in qua poft explanationem Euangelicam, ut fuprà: [Quia ergo, fratres cariffimi, „ inquit, B. Andreæ Apoftoli *natalitia* celebra- „ mus, debemus imitari, &c.], Homilia 28. habita in Bafilicà SS. Nerei, & Achillei, in qua dicit: „ [Sancti ifti, ad quorum Tumbam confiftimus, „ florentem Mundum mentis defpectu calcaverunt, „ &c.], Homilia 32. in Bafilicà SS. Proceffi, & Martiniani recitata, in qua: [Ad SS. Martyrum „ Corpora, inquit, confiftimus, Fratres mei, num- „ quid ifti carnem fuam in mortem darent, &c.], Et demùm Homilia 35. in Bafilicà S. Mammæ *die natali* ejus: [Sed quia *natalem* Martyris hodiernà „ die colimus, fratres mei, nequaquàm nos à virtute

Operum D. Greg. to. 3.

Ibidem ut fuprà.

Ibidem ut fuprà.

Ibidem ut fuprà.

Ibidem ut fuprà.

Ibidem ut fuprà.

„ tute ejus patientiæ æstimare extraneos debe-
„ mus].

Cùm igitur Gregorius Sanctorum passìm memoriam fecerit, quando in ipsorum *natalitiis diebus Homilias* habuit, dùm in *Homilià sextà* nulla SS. Marcellini, & Petri mentio facta reperitur; conjici ex hoc potest, ipsam nec *in eorum honorem*, nec *in illorum natali die* fuisse recitatam; vel saltèm nullum sanè ex eà argumentum desumi posse, quod in ipsorum fuerit *solennitate* celebrata, apertè deprehenditur.

Quod verò minimè recitata fuerit *in aliquà Basilicarum nostrorum Martyrum*, colligitur ex eo, quod Sancto Gregorio Homilias habere, vel *die natali Sanctorum*, ut diximus, vel *in Basilicis, in quibus sacræ ab eo instituta Stationes celebrabantur*, solenne fuit: [*Stationes per Basilicas* (inquit
„ Joannes Diaconus in vità ejusdem), vel SS. Mar- *Jo. Diacon. Vita S. Greg. lib. 2. cap. 18. tom. 1.*
„ tyrum Cœmeteria, secundùm quod hactenùs
„ plebs Romana, quasi eo vivente, certatìm dis-
„ currit, sollicitus ordinavit]; & notandum, quod addit: [Per quas, & ipse simùl discurrens, dùm
„ adhùc eloqui prævaleret, *viginti Homilias* Euan-
„ gelii coram Ecclesià diverso tempore declamavit;
„ reliquas verò ejusdem numeri dictavit quidem,
„ sed lacessente stomacho languore continuo, aliis
„ pronunciandas commisit].

In qua quidem narratione duo animadvertenda sunt. Primum, quod *Stationes*, quas nunc in

Urbe habemus, eædem funt, quas Magnus Gregorius inftituit; ità ut hoc nec in dubium vocari potuerit à recentioribus Scriptoribus, antiquitatis fedulò perluftrandæ ftudiofiffimis; quapropter illorum quidam in Adnotat. ad præfatum caput Vitæ S. Gregorii per Joannem Diaconum, hæc appofuit: [Hæ „ *Stationes* etiamnum in Miffali annotantur, uti „ ftatis diebus in Adventu, Quadragefimà, Qua„ tuor Temporibus, Diebus Rogationum, Feftis „ Chrifti, Nativitate, & Circumcifione, ejusdem „ Epiphanià, Pafchate, Afcenfione, & Pentecofte „ obfervantur, &c.]

Jo. Bolland. Act. Sanct. ad die 12. Martii in Vita S. Greg. per Joannem Diacon.

Notandum fecundò, *Homilias* Gregorium potiffimùm habuiffe *in Bafilicis diebus Stationum*, quas ipfis ftatuerat, ut videre eft ex *Homilià* 19. habità *in Bafilicà Beati Laurentii in Septuagefimà*, *ex Homilià fecundà in Quinquagefimà in Bafilicà Sancti Petri recitatà*, *ex Homilià octavà in die Natali Domini celebratà in Bafilicà Beatæ Mariæ*, *&c.*, & quampluribus aliis.

Si igitur Gregorius *Homilias* ad populum habere, ut plurimùm, confuevit *in Bafilicis*, in quibus *Stationes* ordinavit, & idem *Stationum* ordo, quem priùs indixit, fit ipfe, qui adhùc fervatur; cùm *Sabbato poft fecundam Dominicam Quadragefimæ Bafilica* SS. MARCELLINI, & PETRI *Statione* infignita fuerit, clarè patet, *Homiliam ad tempus Adventus* pertinentem, *Quadragefimali tempore* à Gregorio occafione *Stationis* ejusdem *Bafi-*

Basilicæ pronunciari minimè potuisse; sed existimandum potiùs videtur, *Homiliam* eandem, cùm absque dubio *ad tempus Adventus* spectet, quatenùs verè habita fuerit *Dominicà tertià Adventus*, non alibi recitatam fuisse, quàm *in Basilicà S. Petri*, in qua eo die incidit *Statio*, non verò in alterà SS. Marcellini, & Petri, in qua *Quadragesimali* tantùm *tempore Statio* occurrit.

His planè rationibus, undequaque ambiguitatibus circumseptam quæstionem discussimus, & omninò ad *Dominicam tertiam Adventus* rejiciendam Gregorii *Homiliam sextam* censuimus; immò ex eo, quod ipso die *Statio*, ut diximus, ad S. Petrum occurrit, Scriptorum, & Amanuensium incurià, & ignorantià mendum in Codicibus irrepsisse arbitrati sumus, quod nempè in iisdem additum fuerit nomen *Marcellini*; quapropter subsequens *Petri* nomen falsò deindè existimatum fuerit *Petri Exorcistæ*; cùm tamen positum extiterit ad significandum *Petrum Principem Apostolorum*, ejusque *Basilicam*, in qua *Dominicà tertià Adventus Statio* notatur.

Verùm communem hunc Titulum *sextæ Homiliæ* oppugnantes arbitrati sunt, eam à S. Gregorio verè fuisse recitatam *Dominicà secundà Adventus*, & quidem probabiliter *in Ecclesià Sanctæ Crucis in Hierusalem*. Euangelium enim illud in Ecclesià legitur *secundà dumtaxàt Dominicà Adventus*, ut clarè patet ex Missali Romano. Aliud verò diversum Euangelium legi non consuevisse hac die etiam

Sancti Gregorii ævo, constat ex reliquis Lectionibus Euangelii; super quas idem Sanctus Pontifex *Homilias* habuit; nàm earum ordo rectè, ac plenè consentit cum ordine Missalis Romani, & hic ab illius forsan institutione manavit.

Quod autem *sexta hæc Homilia* probabiliter habita fuerit *in Ecclesiâ S. Crucis in Hierusalem*, ex eo colligitur, quod *Dominicâ secundâ Adventus* in eâ dumtaxàt *Ecclesiâ* sacra *Statio* celebraretur, ut patet ex Missali Romano, in quo descriptæ *Stationes* sunt illæmet, quas olìm Sanctus Gregorius instituit, nihilque prorsùs quoad eas hactenùs immutatum fuisse, nos suprà observavimus. Cùm igitur Beatissimus Pontifex suas *Homilias extrà dies natales Sanctorum* semper habere consueverit *in Ecclesiis Stationum*, indè probabilis certè educitur conjectura, quod *sextam hanc Homiliam* non *Dominicâ tertiâ Adventus*, neque *in ullâ Basilicarum* SS. Marcellini, & Petri, sed *in Basilicâ S. Crucis in Hierusalem* recitaverit.

Nihilominùs eruditissimi Monachi S. Mauri super hoc sententiam rogati, ut diximus, sic responderunt: [Corruptelam jàm observavimus, „ nempè tituli *Homiliæ sextæ*, & multorum manu „ exaratorum Codicum inspectione, ac in nostrâ „ editione sanavimus. Nàm adhibitis Vaticanis, „ Gallicanis, Anglicanis, &c. MSS. ferè triginta „ ad *Homiliarum* in Euangelia emendationem, „ ex eorum consensu sic hujus *Homiliæ sextæ* titulum

„ lum restituimus: (*Homilia* vi. *habita ad populum in Basilicà SS.* Marcellini, *&* Petri, *Dominicà tertià Adventus*); ad hæc verò ultima verba notam hanc attexuimus: [*Hæc desunt in Codice Reginæ Svetiæ, & in cæteris*, (nempè enumeratis in Præfatione) *præterquam in Gemmeticensi secundo*]. Ex hoc titulo expunctа voluimus ea, quæ priùs crasso errore irrepserant: [*In die natalis eorum*], scilicèt SS. Marcellini, & Petri; tùm propter prolatas invictissimas rationes, tùm ob unanimem MSS. consensum, additamentum hoc respuentium. Abjicienda quoque illa, quæ sequuntur, [*Dominicà tertià Adventus*], suadebant antiquiores, & melioris notæ Codices, à quibus absunt; (nàm Gemmeticensis Codex, in quo solo hæc legimus, vix trecentorum annorum ætatem præfert); at verò, ut retineremus, persuasit vetus Kalendarium Romanum à Joanne Frontone editum, ubi pro *Dominicà secunda, seù penultimà antè natale Domini*, quæ *Dominicæ tertiæ Adventus* respondet, assignatur Euangelium: *Cùm audisset Joannes in vinculis opera Christi, &c.*, usque: *Qui præparavit viam antè te*, quod *Homilia* vi. è Gregorianis explanatur.

Jo. Fronton. Kalen. Rom.

„ Itàque censemus, *Homiliam* hanc à S. Gregorio esse habitam *Dominicà tertià Adventus* in alterutrà *Basilica* SS. Marcellini, & Petri; sed non *die natalis eorum*, cujus tot MSS. ex nostris,

nè

„ nè unus quidem meminit. Ideò verò de Sanctis
„ illis Martyribus eà in *Homiliâ* Gregorius prorsùs
„ silet, quia die, quo fuit habita, eorum memoria
„ minimè colebatur. Cæterùm unam ex *Basilicis*
„ Sanctorum, de quibus hìc agitur, Martyrum,
„ locum *Stationis* antiquitùs fuisse, liquet ex præ-
„ fato veteri Kalendario Romano, in quo legitur:
„ [*Die Sabbato* (Hebdomadæ tertiæ in Quadrage-
„ simâ) *ad SS.* MARCELLINUM, & PETRUM]. Hujus
„ quoque Tituli mentio fit in Synodo Romanâ sub
„ nostro Gregorio, &c.]

Ibid. ut sup.

Sic sapientissimi Viri, quibus tamen omninò assentiri non possumus; sicùt enim ritè expunxerunt ex præfato Titulo: *In die natalis eorum*, sic reliqua etiam *de Basilicis* SS. MARCELLINI, & PETRI delere debuerant; cùm ex allatis liqueat, quod licèt *Dominicâ tertiâ Adventus* habita à Gregorio *Homilia* pronuncietur, non tamen ex hoc sequitur, *Homiliam* ipsam in *Basilicâ* Sanctorum nostrorum Martyrum recitatam fuisse.

Ibid. ut sup.

Dominicam verò tertiam auctoritate Kalendarii Romani à Frontone editi eam dixerunt, quam nos *secundam* dicimus, quia & ordine converso *Dominicæ* olìm *Adventus* numerabantur, & *quinque Dominicas*, non tantùm *quatuor*, *Adventum* habuisse crediderunt; uti fusè ostendere nititur Henricus Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii, licèt alii, quos tamen refellit, contrarium senserint; nàm: [In Codicibus, ait, Rodradi, & Ratoldi,

Menard. in not. ad Sacr. S. Greg. p. 2. 6

„ Ratoldi, & apud Pamelium sunt *quatuor* dumtaxàt *Hebdomadæ*, & *Dominicæ* de eodem *Adventu Domini*, converso numerandi ordine, „ ità ut ea, quæ remotior est *à Natali Domini*, „ *prima Dominica*, *seu Hebdomada* appelletur; „ quæ verò *proxima* est, dicatur *quarta*; & Berno „ Augustensis cap. 4. libro de quibusdam rebus ad „ Missam spectantibus, scribit hanc esse *Dominici* „ *Adventus* rationem in Gregorianis Codicibus; „ quod tamen vix mihi persuadere possum, cùm „ editi ex Vaticano Rhemensis, & S. Eligii Codices, „ qui Gregoriani sunt, reclament].

Berno Augusten. cap. 4. libro de quibusdã rebus ad Missam spectan.

Secundùm igitur sententiam eorum, qui *quinque Dominicas Adventus* tempori tributas fuisse censent, ea, quæ modò *secunda Dominica* notatur, ejusque Euangelium: *Cùm audisset, &c.*, in *tertiam* rejicitur. Secundùm alteram verò, quæ *quatuor* dumtaxàt Gregorii tempore, *Adventus Hebdomadas*, seu *Dominicas* fuisse affirmat, Euangelium præfatum ad *Dominicam secundam* pertinuit; ideòque non rectè *Dominicæ tertiæ* adscriberetur. Nonnulli tamen, ut Petrus Cirvelus Daurocensis in expositione Missalis, & Cornelius Schutlingii in Bibliothecà Ecclesiasticà, quamvis *quatuor* tantùm *Adventum Dominicas*, seu *Hebdomadas* habuisse arbitrati sint, Euangelium: *Cùm audisset, &c. Dominicæ tertiæ* adscripserunt; imò Durandus de *Dominicà secundà Adventus* sermonem habens, ait: [Euan- „ gelium est Luc. 21., scilicèt: (*Erunt signa in Sole*,

Petrus Cirvel Daurocen in expositione Missalis.
Corn. Schutling. Biblioth. Ecclesiast.

Dur. Ration. lib. 6. cap. 4.

„ *Sole*, *&* *Luna*, *&c.*), & eft de *fecundo Ad-*
„ *ventu* tantùm; ubi enim offenduntur figna,
„ quæ fient antè diem Judicii, quoniàm totus
„ Mundus turbatione fuà Judicium Domini often-
„ det, ibi etiam fequitur: (*His autem fieri inci-*
„ *pientibus*, *refpicite*, *&* *levate capita veftra*,
„ *&c.*), quædam verò Ecclefiæ legunt Euange-
„ lium: [*Cùm audiffet Joannes in vinculis*, *&c.*]

Ibid. cap. 5. & cap. feq. de Euangelio *Dominicæ tertiæ* loquens afferit, legi confueviffe illud: [*Cùm audiffet Joannes in vinculis*, *&c.*]; quod modò *Dominicà fecundà* nofcimus recitari. Cùm autem effent, ut diximus, *quinque Dominicæ Adventus*, & converfo ordine numerarentur, Euangelium, quod dicebatur in *quintà*, illud extitiffe cenfendum eft, quod in allato Frontonis Kalendario ponitur in *quartà*, eratque: [*Cùm appropinquaret Jefus Hierofoly-*
„ *mis*, *&c.*], usque: [*Benedictus*, *qui venit in*
„ *nomine Domini*], quod modò in *Adventu* minimè legi novimus.

Jo. Fronton. Kalen. Rom. Juxtà ergo Kalendarium Frontonis Euangelium: *Cum audiffet &c.* pertinet ad *Dominicam tertiam Adventus*; & ad ipfam fimilitèr fpectat juxtà fententiam eorum, qui *quinque Dominicas*, *feù hebdomadas Adventus* tempori adfcripferunt, ut Amalarius, & alii; quinimò in eandem rejiciendum eft juxtà etiam aliquorum, quam prænotavimus, opinionem, qui *quatuor* tantùm *Dominicas Adventui* dederunt. Secundùm alios verò *ad fecundam Dominicam*

minicam semper pertinuit. Sed quid inde? Vel *ad secundam* spectaverit, vel *ad tertiam*, indubium est, ex hoc nil aliud educi debere, nisi quod *Homiliam* super idem Euangelium Gregorius celebraverit *secundà, vel tertià Adventus Dominicà*, & per consequens *in Basilicà, vel Principis Apostolorum, vel S. Crucis in Hierusalem*, ubi præfatis diebus *Statio* præfixa erat; non verò in alterutrà *Basilicà* SS. MARCELLINI, & PETRI, in quibus nullatenùs eo tempore *Stationem* fuisse deprehendimus. Euangeliorum siquidem ordo, qui adhuc in Ecclesià custoditur, idem ipse est, ac ille, qui in præfato Frontonis Kalendario *Ut supra.* indicatur, dempto tamen eo *Hebdomadæ quartæ*, quod *ad primam Dominicam*, *seù Hebdomadam Adventus* pertinebat, eratque: [*Cùm appropinquaret Jesus Hierosolymis &c.*] usque: [*Benedictus, qui venit in nomine Domini*]; nam *Hebdomadà tertià antè natale Domini*, quæ erat *secunda*, & respondet *primæ*, Euangelium erat: [*Dixit Jesus Discipulis suis: erunt signa in Sole, & Lunà*] usque [*Verba autem mea non transibunt*]. *Hebdomadà secundà*, quæ erat *tertia*, & respondet *secundæ*, legebatur Euangelium: [*Cùm audisset Johannes in Vinculis &c.*], usque [*qui præparavit viam ante te*]. *Hebdomadà primà*, quæ erat *quarta*, & respondet *tertiæ*, Euangelium erat: [*Miserunt Judæi ab Hierosolymis*] usque [*ubi erat Johannes baptizans*]. *Hebdomada* verò, sivè *Dominica*, quæ erat *quinta*, & est modo *quarta*, non computabatur,

licèt inter *Dominicas Adventus* esset, quia nempè *vacans* dicebatur: [Primò, (ait Durandus) quia „ ostendit, quod omnis Sanctus vacat, ex quo Jo- „ hannes, quo inter natos Mulierum non surrexit „ major, non est dignus solvere corrigiam calcea- „ menti, sicut dicitur in Euangelio *hujus Dominicæ*, „ idest Incarnationis mysteria denudare, & propter „ hoc Dominus Papa non facit *Stationem* apud ali- „ quem Sanctum. Secundò dicitur *vacans*, quia „ non habet proprium officium, sed mutuat alie- „ num &c. Tertiò, quia numerum dierum *Adven-* „ *tus* excedit, scilicèt XXI.; quarè inter *Dominicas* „ *Adventus* non debuit computari, sed *vacans* po- „ tiùs appellari. Quartò, quia Apostolicus olim „ hac die *Dominicà* eleemosynis vacabat, & tàm „ ipsi, quàm sui circa hoc intenti nullam *Stationem* „ faciebant, propter quòd dicta est *vacans*, scilicèt „ à *Statione*, & *Indulgentià*]. Inter has tamen à Durando allatas rationes, quasdam dumtaxàt soli- diores recipiendas admonemus, reliquas rejicimus, ut præ aliis, quòd inter *Dominicas Adventus Domi- nica Vacans* connumeranda non esset, quia videli- cet numerum dierum XXI. Adventus excederet; nam præfatum numerum olim *Adventus* tempus excessis- se liquet, uti probant laudatus Menardus, & alii; ità etiam omni prorsùs *Statione* ipsam *Dominicam* vacasse, falsitatis arguitur ex auctoritate antiquorum Missalium, in quibus *Statio* ad Sanctos duodecim Apostolos indicatur.

Gulielm. Durand. Ration. lib. 6. cap. 11. num. 7.

Menard. in notis ad Sacr. S. Gregor. ut supra.

Sub-

Sublato igitur Euangelio; *Cum appropinquaret &c.*, ejusque, in qua recitabatur, *Dominicà*, statis diebus in reliquis *Adventus Dominicis*, mutatò dumtaxàt numerandi ordine, Euangelia leguntur, uti jam legi consueverant. Cùm eà autem *Dominicà* demptam quoque fuisse ipsius *Stationem* fateri debemus; undè primævo in ordine reliquis Euangeliis permanentibus, *Dominicis*, & Euangeliis respondentes *Stationes* remansisse dicendum est. Quibus positis, ex quo quæso educitur, habitam à S. Gregorio *Homiliam* fuisse in alterutrà *Basilicarum nostrorum Martyrum*, si ipsius *Statio* nullatenùs *Adventus* tempori congruit? non enim sufficit, quod ex veteri Kalendario Frontonis, locum *Stationis* olim fuisse unam ex *Basilicis* Marcellini, & Petri desumatur, ut iccircò probetur, *Homiliam* in eà à Gregorio fuisse recitatam; nam cùm Gregorius *quadraginta* tantùm *Homilias* ediderit, & longè major Basilicarum, in quibus *Stationes* indixit, numerus extiterit; sicut ideò liquet, in omnibus *Homilias* celebrare minimè potuisse, ità immeritò pronunciatur, cùm eas recitavit, ipsas nonnisi tempore, quo *Stationes* in illis celebravit, dixisse. Cùm ergò *Statio* ad Sanctos Marcellinum, & Petrum *in Quadragesimà* indictà fuerit; qua ratione tempore *Adventus* in alterutrà eorundem *Basilicà Homiliam* Sanctissimus Pontifex habere potuit?

CAPUT XII.

Nonnulla alia, quæ in Ecclesiasticis Historiis Basilicæ SS. MARCELLINI, & PETRI *monumenta reperiuntur.*

PRæcipuas autem eas fuisse in Urbe Romà Basilicas, quæ *Patriarchales* usque modò nuncupantur, cæterasquè tùm amplitudine, tùm magnificentià antecellunt, nemo non novit. Fuere hæ, & adhuc extant *Basilica Salvatoris*, *Basilica S. Petri Apostoli in Vaticano*, *Basilica S. Pauli Vià Ostiensi extrà Urbis mœnia*, *Basilica Liberiana*, *seù Sixti Papæ in Exquiliis, quæ S. Mariæ ad Præsepe, seù Majoris dicitur*, & *Basilica SS. Stephani, & Laurentii extrà Muros Vià Tiburtinà*. *Patriarchalium* verò nomen potissimùm sortitæ dicuntur, quòd totidem *Patriarchales Sedes* pro quinque præcipuis Christiani Orbis *Patriarchis* repræsentent; & *Lateranensis* quidem, utpotè cæterarum omnium Princeps *Romanam* exhibet *Sedem*; *Constantinopolitanæ Cathedræ* autem *Basilica S. Petri in Vaticanò*, *Alexandrinæ ea S. Pauli Vià Ostiensi*, *Antiochenæ illa S. Mariæ Majoris*, & altera demùm *S. Laurentii Hierosolymitanæ* tribuitur.

Rasponi. de Basil. Later. lib. 1. cap. 3. p. 11., & 12.

Ut autem eximio cultu in præclarissimis hisce Basilicis Divinorum officiorum opus exerceretur, qui in ipsarum singulis, singulis etiam diebus sacra My-

Mysteria facerent, vel eis interessent, Presbyteros, seù Episcopos Summi Pontifices selegerunt. Et quidem *Lateranensem Basilicam*, uti omnium præcipuam, viciniorum Urbi Civitatum *Episcopi* frequentandam obtinuere; cæteras verò *Cardinales Presbyteri per viginti, & octo Urbis Titulos* distributi; nam sicut septem sunt hebdomadæ dies, qui eà evolutà denuò recurrunt, ità & pro *Lateranensi Basilicà septem Episcopi Cardinales*, & pro quatuor aliis *Basilicis septem Cardinales Presbyteri* designati fuerunt, qui per orbem hebdomadam celebrando explerent, & ministerium ex integro eà circumactà ritè obirent; undè *ex viginti, & octo Presbyterorum Cardinalium* numero in quatuor partes, & in quatuor *Basilicas* per septem dies distributo, neminem ex iisdem *Presbyteris Cardinalibus* à frequentatione Basilicæ sibi assignatæ solutum reperiri potuisse cognoscitur, uti & à frequentandà *Lateranensi*, & divinorum ibi officiorum exercitio neminem ex *septem Episcopis Cardinalibus* immunem unquam fuisse deprehenditur.

At quia longo dictamine, quo modo, quovè ordine tùm *Episcopi*, tùm *Presbyteri Cardinales* per præfatas Basilicas fuerint distributi, alibi nos enarrasse meminimus, rem ideò hic denuò repetere incongruum arbitramur. Prætermittere tamen haud possumus, nostrum SS. MARCELLINI, & PETRI *Presbyterum Cardinalem Patriarchali S. Mariæ Majoris* addictum fuisse, ut legitur in antiquo MS. Cod. *In Vità Sancti Petri Damian. tom. 1. lib. 2 cap. 2. Baron. ann. 1057. p. 236.*

Va-

Ibid. ut sup.

In append. Ord. Rom. 11. ex lib. Petr. Mallii in Muf. Ital. Mabil. to. 2. cap. 31.

Idem in append. Ordin. Rom. ex Jo. Diac. de Baf. Lat. cap. 16. apud eundem Mabill. to. 2.

Vaticano, ex quo ista Eminentissimus Card. Baronius excerpsit: [Alia *Patriarchalis est S. Mariæ Major* dicta, in qua habet septem Cardinales Presbyteros, scilicèt Cardinalem SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, S. Cyriaci in Thermis, S. Eusebii, S. Pudentianæ, S. Vitalis, SS. PETRI, & MARCELLINI, & S. Clementis].

Sicut autem ex Pontificum jussu *Basilicæ Liberianæ* ministerio mancipatus erat *Presbyter Cardinalis* SS. MARCELLINI, & PETRI; ità etiam ex eorundem munificentiâ Sanctorum Martyrum ipsa *Basilica* particeps erat *Presbyterii*, quod ipsi Romani Pontifices nonnullis Urbis Ecclesiis elargiri consueverunt. Quidnam hoc *Presbyterii* nomine significaretur, nostrum non est hìc explanare, rem enim disertissimè enucleandam suscepit Vir doctissimus Abb. Battellus opusculo, quod propèdiem publicam lucem aspiciet; cur autem inter alias Basilicas nostræ quoque SS. MARCELLINI, & PETRI *Presbyterium* tribueretur, satis superquè explicat Cincius Camerarius his verbis: [Notandum prætereà, quod à Sancto Petro, usquè ad Palatium Domini Papæ fiunt Arcus à Romanis honorabiles in viâ, per quam transit; & Clerici omnes Romani occurrunt eidem induti undecumque possunt cum thuribulo; in remunerationem cujus honoris Romanis pro Arcubus datur *Presbyterium* triginta quinque librarum provesinarum, & dimidiæ; Clericis verò pro thuribulis triginta trium librarum provesinarum,

Cinc. Camerar in Ordine Roman. 12. cap. 16. n. 38. apud Mabil. Muf. Italic tom. 2. p. 188.

„ rum, ut in sequentibus plenius apparebit], & in-
„ ferius: [Hoc est *Presbyterium* superiùs nomina- *Ibid. cap. 13.*
„ tum, quod datur Presbyteris Romanis pro thuri-
„ bulo. Ecclesiæ B.Petri VIII. Sol. &c.], deindè mul-
„ tis enumeratis, [*Sanctis* PETRO, *&* MARCELLINO
„ *ii. Sol.*]. Qui plura tamen de *Presbyterio* scire desiderat, adeat Ducange in Glossario Verb. *Presbyterium*; Raynaldum nostrum Anno 1272., Rasponum de Basilicâ Lateranensi lib.4. cap.3. *de Presbyterio*, & alios.

Ducange in Glossario, verbo Presbyterium.
Odoric. Raynald. anno 1272.
Raspon. de Basil. Later. lib. 4. cap. 3.
Bened. Millin. in opusc. de Orat. Sancta Sanctor. cap. 3.

Benedictus Millinus in quodam Opusculo de Oratorio Sancta Sanctorum cap. 3. describens *Processionem* quandam, quæ fieri consueverat nocte Assumptionis Beatissimæ Virginis, ex institutione, ut putat, Sergii Papæ Primi, qua in *Processione* circumferebatur Imago Sanctissimi Salvatoris, in præfato Oratorio existens, & ad Basilicam S. Mariæ Majoris deferebatur, propè *Basilicam* Sanctorum MARCELLINI, & PETRI ex more transire solitam fuisse narrat, verba referens Catasti secundi Societatis Sancta Sanctorum, anno 1462. exarati folio quarto, in Archivio Societatis, ad quod accessimus, & pro singulari benignitate Nobilium Virorum Gasparis Orighii, Prosperi Boccapadulii, & Juliani Capranicæ Deputatorum, Catastum idem præ manibus habuimus, cujus verba hæc sunt: [Reduci-
„ tur Imago ante Ecclesiam Cosmæ, & Damiani,
„ & ex latere dictæ Ecclesiæ per Arcum, qui vulgò
„ dicitur *Arco-Latrone* de antiquo Pacis templo

per

„ per viam usque ad pedem Clivi Ecclesiæ S. Petri
„ ad Vincula, & exindè antè Ecclesiam S. Pantaleo-
„ nis in viam rectam *de contratà Suburræ*, & *San-*
„ *ctorum* Petri Marcellini].

Ibid. ut sup. pag. 178. Idem Scriptor ejusdem Catasti auctoritate alibi meminit etiam præfatæ nostræ *Basilicæ*; nam describens Christianæ charitatis affectum, quo Hospites, & Peregrini, sacra Romæ loca invisentes, à Confratribus Societatis Sancta Sanctorum exciperentur, refert decursu temporis ab iisdem hospitalem ædem ad SS. Marcellinum, & Petrum erectam fuisse, in qua non modò Peregrini hospitium subirent, sed & ægri quoque, ac infirmi, donec convalescerent, habitarent. Subdit tamen, præ situs angustià abjectum fuisse locum, & ideò hospitalem domum in Lateranensem agrum translatam, atquè à fundamentis excitatam, ubi Oratoria sub invocatione S. Michaelis Archangeli, & S. Andreæ sita erant. Verba Catasti fol. 26. sunt hæc:

„ [Divinitatis instinctu Hospitale inchoatum
„ est primùm *apud Ecclesiam* Petri Marcellini *de*
„ *Suburrà*, loco utique ex antiquitate sui memora-
„ bili, sed admodum debili, & modico ad tale opus;
„ deindè translatum apud Lateranum in antiquis
„ domibus, & palatio, quod Palatium Regis voca-
„ batur, juxtà formas antiquas, arcum Basile, &
„ domos antiquas, & Palatia Nobilium de Novellis,
„ ubi Cappella quædam sub vocabulo Sancti Ange-
„ li, & alia parva quædam Ecclesia sub nomine,

& vo-

„ & vocabulo Sancti Andreæ sita erant &c.]: Ista ex Millino.

CAPUT XIII.

Plures Basilicæ SS. MARCELLINI, & PETRI propè Lateranum *restaurationes adnotantur*.

PRæ vetustate collabentem nostram hanc Sanctorum MARCELLINI, & PETRI *Basilicam*, pluriès instaurare studuisse Summos Pontifices, vel ejusdem *Tituli* Presbyteros Cardinales, Ecclesiastica, quæ adhuc extant, planè monumenta omnia testantur, & in primis Anastasius Bibliothecarius in Gregorio III. sub anno Domini 741. id apertè fatetur; nam de eodem Pontifice sermonem habens, ait: [Fecit verò à novo *Ecclesiam* Sancto„ rum PETRI, & MARCELLINI *juxta Lateranis*]; quæ verba ità accipienda sunt, ut minimè credatur, Gregorium Tertium à fundamentis ipsam evexisse, cùm ex allatis pateat, jam Magni Gregorii ævo longè antè præfatum Pontificem extitisse; sed tantùm quod ille temporis injurià penè collapsam refecerit, & primævo nitori restituerit.

Anast. Bibl. in Greg. III. Baron. anno 741.

Post Gregorium Tertium Anno Domini 885. Benedictus etiam hujus nominis Tertius ipsius *Basilicæ* renovationi, atque reparationi, eodem Bibliothecario teste, operam dedit; dicit enim de Benedi-

Anast. Bibl. in Ben. III.

„ cto.: [Nec non & in *Ecclefià* Beatorum Petri, &
„ Marcellini, cujus tectum jam vetuftate pofitum
„ vicinum ruinæ exiftebat, depofitis vetuftiffimis
„ trabibus, & aliis impofitis, novitèr ipfum tectum,
„ atquè porticus in circuitu omnes noviter reftau-
„ ravit].

Ciacon. in vita Alexandri IV. MS Cod Arch. Vaticani, & alii.

Alexander verò Papa Quartus, eandem hanc noftram *Bafilicam* Anno Domini 1256. folenni pompà confecravit, in eàque Reliquias repofuit, ut conftat ex marmoreà Infcriptione, quæ in eàdem *Bafilicà* adhuc invifitur, eftque hujufmodi:

„ [Anno Nativitatis Domini 1256. Indict. xiv.
„ die x. Menfis Aprilis, Alexander Papa Quartus
„ confecravit hanc *Ecclefiam* SS. Marcellini, &
„ Petri, & utrumque Altare, & repofuit in majori
„ Altari de Reliquiis SS. Marcellini, & Petri,
„ SS. Marii, & Marthæ, SS. Bonifatii, & Victoris,
„ SS. Septem Fratrum, & SS. Rufinæ, & Secundæ,
„ S. Jacobi Apoftoli, S. Chriftinæ Virginis, SS. Six-
„ ti, Feliciffimi, & Agapiti, S. Gorgonii Martyris,
„ SS. Cornelii, & Cypriani, & S. Stephani Proto-
„ martyris, & tunc conceffit ipfi *Ecclefiæ* à dictà
„ die Confecrationis, ufque ad octavam fingulis
„ annis Indulgentiam trium Annorum, & trium
„ quadragenarum, & deindè tranftulit dictam In-
„ dulgentiam de dictà die in feriam fecundam poft
„ Dominicam fecundam Quadragefimæ, qua die
„ addidit Indulgentiam unius anni, & quadraginta
„ dierum]: fic Infcriptio.

In

In MS. Cod. Vaticano reſtaurata etiam creditur à Paulo Papa Quarto, ibi ſiquidèm dicitur: „ [Reparata etiam videtur à Paulo IV., cujus ſuper „ januam legebatur nomen]. *MS. Cod. Vatic.*

E Titularibus autem Presbyteris Cardinalibus Creſcentius Anagninus Hernicus, à Paſchali II. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominicà, & poſtmodùm à Calixto II. Presbyter Card. Tit. SS. MARCELLINI, & PETRI electus, eandem hanc ſui Tituli *Baſilicam*, & vicinum Palatium à fundamentis reſtituit Anno Domini 1119. *Ex Ciaccon., & aliis, ut ſupra.*

Anno verò Domini 1284. Comes Gluſianus de Caſate, natione Italus, Civis, & Archidiaconus Mediolanenſis à Martino II. dicto IV. Tituli Sanctorum MARCELLINI, & PETRI Presbyter Cardinalis renunciatus, ejuſdem ſui Tituli *Baſilicam* reſtauravit, ut patet ex duobus, quæ in eàdem Baſilicà adhuc leguntur, carminibus, & ſunt:

Hæc fieri Comes Mediolanenſis in hujus
Cardinei Tituli juſſit bonore ſui.

Sub Gregorio item XIV. Marianus Cardinalis Perbenedictus Apſidem hujus *Baſilicæ* picturis, & aliis ornamentis decoravit; quare ad januam hæ ſunt notæ:

[MARIANVS PERBENEDICTVS CARD.
DE CAMERINO HVIVS ECCLESIÆ TIT.]

At Beatiſſimi Patris Noſtri CLEMENTIS Papæ XI. ferventiſſimus zelus veterum omnium ſtudiis præſtat; penè ſiquidem abjectam, deſtitutamque,

que, & vix paucissimis notam insignem *Basilicam* è latebris denuò educens, ut undequaquè pristino nitori restituat, nil intentatum relinquit. Uti verò præ omnibus unicè dilectam, Francisco Cardinali Pignatello primo, quem creavit, Presbytero Cardinali, tanquam insigne amoris monumentum in Titulum tradidit, ut & ipse secum, tanquam Sponsæ, deinceps illius honori augendo omni conatu incumbat. Sub Beatissimo igitur Pontifice, & Eminentissimo Presbytero Cardinali confidimus, eò solidiorem cæteris anteactis renovationem adepturam, quò ferventiori præ antiquis studio ambo nituntur, ut renovetur.

CAPUT XIV.

Præsens forma Basilicæ SS. MARCELLINI, & PETRI propè Lateranum *describitur*.

FOrma autem hodierna *Basilicæ*, hujusmodi est. Quà longa à januà maximà ad gradus Presbyterii, Aræque maximæ, palmorum numerus nonaginta * novem cum dimidio, quà verò lata, quadraginta cum dimidio. Presbyterii, ad quod per gradus quinque ascenditur, longitudo est à primo gradu numerata palmorum triginta duorum quadrante minus; latitudo verò palmi ferè unius suprà triginta. Habet Ecclesia hæc insuper feminavim, de qua infrà. Aræ tantùm duæ; Maxima in Apside speciem


* *MS. Cod. Arch. Vatic. palmos longitudinis novē ultra centum numerat; latitudinis 42.*

speciem gerit Insulæ inter inferiorem, & superiorem Confessionem: surgit ex eâ Tabernaculum, quod, columnæ quatuor è pario marmore sustinent, quarum tres squammatæ, levigata quarta. De ipso autem hæc scriptis tradidit Ciampinius: [Aliam „ Martyrii Iconem produxi, quæ *Confessio* solet „ denominari, depromptam ex suo prototypo, qui „ adhuc hodie Romæ integer manet in antiquissimo „ SS. PETRI, & MARCELLINI Templo *apud Lateranum*, quod Titulo Cardinalitio Gregorius Magnus insignivit, & in eo sextam ad populum Homiliam habuit. In hac Confessione visitur sub „ Altari, prout in aliis antiquis Urbis Ecclesiis, „ quædam fenestra, & introrsum velut ædicula, in „ qua Martyris Corpus jacere asseritur, ex antiquo „ Ecclesiæ usu, secundùm illud Apocalips. cap. 6. „ (Vidi sub Altare animas interfectorum propter „ verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant); cadit quoquè in hunc Confessionis Iconismum, observandum columnarum epistylium „ ornatiori elegantiâ fabrefactum; recurrit namquè „ suprà idem veluti columellarum porticus, quibus „ super attollitur Tympanus &c.]. In fronte autem Epistylium illud Musivo decoratur, & suprà in circuitu positæ columellæ, de quibus Ciampinius loquitur, viginti quatuor numerantur, quæ præfatum Tympanum sustinent. Hanc verò Confessionis molem, licèt longævam exhibeat vetustatem, partim tamen eversam, & occasione restaurationis *Basilicæ*, ipsam


Ciampinius Vet. monum. cap. 19. pag. 180.

Apoc. cap. 6.

ipſam quoque inſtauratam novitèr fuiſſe oſtendunt, vel quatuor ſubjectarum columnarum diverſitas, vel lapideæ aliæ tabulæ in ipsà poſitæ, quas alii procul dubiò uſui deſtinatas olim fuiſſe, antiqui, dimidiati, nilque ſacrum redolentes characteres, qui in Tympano conſpiciuntur, facilè demonſtrant; ejuſmodi ſiquidem ſunt: ex parte poſteriori Tympani:



In tecto verò ipſius Tympani à cornu Euangelii in parte ſuperiori:



In oſtiolo feneſtræ, quod claudit introrſum poſitam ædiculam, eſtquè ex ferro aurato, cælatum eſt Stem-

Stemma Innocentii XI. Pont. Max. Ara autem maxima sub præfato tabernaculo, ex marmore tota constructa est. Ambiunt verò Apsidem subsellia, & pavimentum indicat, se marmore, tessellisque stratum, quamvis hodie pluribus in locis dirutum appareat, & aliquà ex parte lateritium; in eà etiam parte, quæ adhuc ex marmore constat, ex fragmentis aliundè asportatis elaboratum cognoscitur, uti apertè inter alios indicat propè columnam levigatam positus hic lapis.

S O R F	
V. A V E	

Totus Apsis picturà decoratur, opus, si Benedicto Millino credimus, Johannis Baptistæ Putei Mediolanensis. In fornice pictæ recens videntur Imagines Beatissimæ Trinitatis, Deiparam coronantis, Cælitumque æterna felicitate fruentium, inter quos Martyres MARCELLINUS, & PETRUS, Venantius, & Stephanus, qui Præsides, & Patroni erant Cardinali Perbenedicto Camerti, cujus jussu depictæ fuerunt, cùm *Basilicam*, ut diximus, instauravit. Pro fornicis coronà plurima, & diversa Martyriorum instrumenta delineata aspiciuntur; subtus in medio, coràm Arà maximà adest Stemma præfati Cardinalis Perbenedicti, à dextris verò, & à sinistris aliud Pe- *Bened. Mill. in MS. Cod.*

Perettæ familiæ, & demùm hinc indè extant picturâ simul expressæ Infulæ, Baculi, Cruces, Pilei, & Pluviales Episcopales, Pileique Cardinalitii purpurei. In Arcu fornicis tandem fenestra rotunda, & super eam dicti Cardinalis Camertis rursùs depictum Stemma invisitur.

Reliquum *Basilicæ* corpus omninò incultum; ex parietibus inæqualibus, & distortis consurgit; nil venustatis in tecto, quod ex rudibus laquearibus est compactum, nil videre est elegantiæ architectonici operis in ullà parte; quinimò omnia in *Basilicà* sine delectu posita, non ad ejusdem ornatum, & peræquam proportionem, sed ad ipsius omnimodam tantùm ruinam avertendam locata fuisse cognoscuntur. Plures olim ex utràque parte fenestras habuisse deprehenditur, (nisi tamen, quæ videntur testudines, muro nunc obductæ, & clausæ, Arcus porticuum, quos olim *Basilica* in circuitu habuit, à Bened. III. ædificatos, potiùs censendæ sint); modò tres tantùm habet, quarum duæ semisphæricæ Austrum respiciunt; tertia verò tetragona super majorem januam posita, ad Orientem est versa. Pavimentum à Januà maximà, usquè ad mediam *Basilicam* lateritium; pars reliqua ex marmoreis fragmentis strata est. In hac frustula lapidum has præferunt Inscriptiones.

Propè

Propè primum gradum Apſidis à cornu Epiſtolæ:

DIS λλλn
λEL ZOΠVS
HIC SITVS EST VIX λN. LXII

Juxtà hunc coràm Arà maximà:

I S E C V N
R I B V N V S
V I S B
S O Ω

Non longè alter:

E P O
V N

Coràm cornu Epiſtolæ:

D. λλ
BENE . λλEREN
TI FRλ IER. FEC

Inferiùs :

D. λλ.
λNNIVS OR
F. ITVS . QVI VIX
ANN. XVIII. λλ. VI.

Deindè :

. . . .
P. IVS. C. OMRARI BI
S. ITA. PRID. KAL. λ

Inferiùs :

V
NOVE

Hunc propè :

E FELICITA
S. DIVI
ṼC. VIII. ET

Infe-

Inferiùs propè parietem, ubi marmoreum termi nat pavimentum:

M
V I A E
I D I
B E N E

FVLVI
IYLLI
IT . BIENN
VS · VIIII.
CII . ΊλΊλ .

D N
A V R E L I V S . DIONYS
NAVI
B E R T A B V S . QVE POS
REFECIT . AVRELIVS . D
VS . CVSTOS . OFFICI
LIA PELAGIA VXORE EXPER
LIBERTIS LIBERTABVSQV

E . SVAE

SIA

Q V E

MAXIMILIAN
QVI . BIXIT . ANNVS . λ
IN PACE

M
ARADA

VM . VII. D. V. I.
M. VIII. D. V. I. N.

F Γ Γ

Sub finem pavimenti, marmoreis hisce fragmentis eloborati, Campanilis modicissima Turris soli *Basilicæ* parieti innixa evehitur, itaut in ipsà *Basilicà* dependentes conspiciantur funes, quibus Campanæ pulsantur. Tandem non longè à Januà majori miræ pulchritudinis Crater invisitur lustralis aquæ, ex viridi lapide efformatus, & quamvis ex parte comminutus, & fractus videatur, optimi tamen vasis meretur existimationem.

A cornu verò Euangelii *Basilicæ* ea, quam innuimus, seminavis existit, quæ à magnà navi secluditur, & à columnis quatuor, unàque pilà sustinetur. Huic similem à cornu Epistolæ consurrexisse olim alteram seminavim, quæ adhuc cernuntur, licèt modò intrà parietem comprehensæ, totidem columnæ congruentissimè suadent. Seminavi autem, quæ adhuc extat, longitudo est palmorum quadraginta usquè ad primum gradum Absidulæ, quæ in capite ejusdem conspicitur; latitudo verò viginti trium cum dimidio. In Abside Ara, & in ejusdem pariete picturà decorato, Sacerdos sacrum faciens, & Clericus eidem inserviens, superpelliceo indutus exprimitur, nec non simulacrum occurrit nudæ mulieris, globo pedibus innixæ, è prospectu efformatum, quod Fortunam ethnico more repræsentare videtur; undè Sanctum Presbyterum Marcellinum, eique Ministrantem Clericum S. Petrum Exorcistam, spretumque ab ambobus idololatriæ cultum eà picturà significari potissimùm creditur. Totius Absidulæ, ejus-

ejusquè Aræ longitudo palmorum undecim, & trium palmi quadrantium. In pariete sub priori arcu seminavis, posita marmorea tabula; monumentum scilicèt consecrationis *Basilicæ*, factæ ab Alexandro Papa Quarto, cujus verba retulimus suprà in cap. 13. de restaurationibus. Subsellia lateritia in circuitu seminavis extant, & coràm eàdem Arà, ianua, quæ in sacrarium, ac alia tria angustissima cubicula super ipsam seminavim constructa aditum præbet; ipsius verò fornix, tabulatus est. Janua seminavis ad Septentrionem versa est, hancque exteriori parte præfert inscriptionem:

PAULUS IIII. PONT. MAX.

Cubicula super seminavim ædificata duas habent fenestras intus Ecclesiam respicientes, item alias quinque extrà ipsam, quæ super ianuam Ecclesiæ Septentrionalem protenduntur. Ex marmoreis fragmentis compactum totum ipsius seminavis cernitur pavimentum, variisquè, sed mutilatis inscriptionibus respersum. Per duos gradus ad Aram ascenditur, quorum in primo hæc sunt:

CINCIA . T. L. LAVDICA
CINCIA . T. L. NICE

Ab

Ab Ara usque ad finem seminavis:

EVV. DVORTO FECIT

AA

DIS . λλANIBVS
AVR. TROPHIλλO
AVS LIBERTO
SIRICA MARITO
DIGNISSIMO . BENE
λλERENTI . FECIT

ΑΝΘΟϹΟΗλΥΤΕΡωΝΚΙ

ΧωΡΟΝΑΝ

. . . . .
. . . .
VCITIV.
λλλC RO
APVLEIV
ATTIV
OCTAVIV
SENTIV
CASPVII
λλIS
VIBIV
CINCX
POSVI
λλ
. .

NEN S. λQVSIλS ΛTVCIVS FIRMINVS VERON L. LIP.Λ
R . . . . VETERE

D P D
LVI

IVVVIS

PAILR

P A I L R. B. M

Basilicæ demùm frons, præcipuumque fastigium ad Orientem positum, multiplici pictura insignitum apparet. In culmine Stemma Sixti V. Pontificis Maximi invisitur. Stemmata verò Cardinalium Montalti,& Perbenedicti dexterum,& lævum latus, fenestræ tetragonæ tenent, subtus quam aliud Cardinalis Sfondrati. Janua maxima ex pario marmore, media inter pictas SS. Marcellini, & Petri imagines. Vepribus, & spinis adjacens olìm Area circumsepta totam *Basilicæ* faciem obducebat, ità ut locus vix prospicientibus perspicuus esset, & ingredi volentibus, tanquàm invius, vix pateret. At modò jussu Beatissimi Patris CLEMENTIS XI., evulsis undequaque dumis, æquato solo, novellis germinans plantationibus area explicata est, quæ intuentibus in nobili *Basilicæ* fronte venerandum detegit antiquitatis monumentum, & ingredientibus facilem, & delectabilem aditum exhibet. A circumstantium ædium vetustis ruinis quoque penè obruta, & sepulta tota *Basilica* jacebat; jussu verò ejusdem Bmi Pontificis, ab iisdem vindicata, è quodam tumulo rursùs cernitur resurrexisse, cùm in circuitu ipsius planitie redditâ, non modò totum

 id,

id, quod eft, videatur, fed etiam, quid fuerit, aliqualiter intelligi poffe arbitremur.

Cenfemus fiquidem, *Bafilicæ* apfidem olìm majoris molis extitiffe eà, quæ nunc eft; mufivo infuper fuiffe opere decoratum, procul dubio teftantur innumeri lapilli, quos in loco, in quo apfis ipfe majori ambitu extendebatur, reperimus. *Bafilicæ* autem reliquum corpus minori longitudine, quàm nunc eft, olìm fe protendiffe, nec feminavis menfuram exceffiffe, id fuadet, quod teftudines in parietibus *Bafilicæ* confpiciantur poft ipfam feminavim, quas porticui *Bafilicæ* potiùs, quàm *Bafilicæ* eidem defervifle cognofcitur; & ipfa abfurditas, & inæqualitas novæ hujus fabricæ, veteri fuperadditæ, noftram hanc conjecturam minimè fpernendam reddit, eo magis, quod locum hunc non amplæ admodùm molis fuiffe, fuprà fatis monftratum fit.

CAPUT XV.

Elenchus Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Presbyterorum Cardinalium *Tituli Sanctorum* Marcellini, *&* Petri, *à Sancto Gregorio Magno, usque ad* CLEMENTEM XI.

Poftquàm autem Sanctorum noftrorum Martyrum Marcellini, & Petri *propè Lateranum Bafilicam* circà Magni Gregorii tempora *Presbyteri Cardinalis Titulo* infignitam fuiffe dixi-

diximus, eidem, quos subjicimus, præfuisse *Cardinales Presbyteros* reperimus, licèt plurimorum non tantùm gesta, verùm etiam & memoriam, & nomen ipsum deperiisse compertum sit; ab *Albino* enim, qui sub eodem Beatissimo Pontifice in Concilio Romano anni 595. *Presbyter Tituli* SS. MARCELLINI, & PETRI invenitur, usque ad Paschalem II. ejusdem *Tituli Presbyteros* in Ecclesiasticis Tabulis reperire minimè potuimus. Post *Albinum* autem hi leguntur:

Baron anno 595.

Rainus *, seu *Renius à Paschali II.*, qui creatus est Pontifex anno 1090., *in numerum Cardinalium cooptatus est Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI. Hic Vastallensi, & Lateranensi Conventui interfuit anno 1106., & jussu Paschalis fœdus cum Henrico Imperatore initum Sacramento unà cum aliis Cardinalibus confirmavit.

* *A Baronio vocatur* Runerus. *Ab Ughell.* Rainerius.

Ciaccon. in Pasch. II.

Crescentius Anagninus Hernicus ab eodem Pontifice, cujus fuerat Scriptor, Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Domnicà creatus recensetur. Postmodùm *à Calixto II.*, qui de anno 1119. Pontifex fuit, *Presbyter Cardinalis Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *renunciatus est*. In Schismate Ecclesiæ contrà Innocentium II. de anno 1130. Anacleto Pseudo-papæ suffragium dedit, à quo etiam Beneventanæ Ecclesiæ præpositus fuit. Dimisisse verò *Titulum* SS. MARCELLINI, & PETRI, & ad alium demigrasse dicendum est; nàm

Ciacconius ibid.

Ex MS Cod. Vatic. creatus à Pasch dicitur an 1122. sed falsò cum Calixtus II., qui Paschali successit, anno 1119. Pontifex creatus fuerit.

Sigizzo junior ab Honorio II. de anno 1126.

Ciaccon. & alii.

Presbyter Cardinalis Titulo SS. MARCELLINI, & PETRI *renunciatus reperitur*. Hic in Schismate pariter contrà Innocentium II. pro Anacleto stetit.

Raynaldus Calamentanus, seu *Colimentanus ex Comitibus Marsorum* Campanus Abbas Casinensis de anno 1140. mense Decembri *Presbyter Cardinalis Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *ab Innocentio II. dictus est*. Casinensem Præfecturam gessit viginti & octo annorum, ac octo mensium spatio, longam æquè, ac multis implicatam difficultatibus; sed tantà animi virtute, ac constantià, ut nunquàm superari potuerit. Reges enim Siciliæ, qui adversùs illum conjuraverant, non modò intrepidè sustinuit, sed incredibili patientià, & æquanimitate deindè sibimet conciliavit. Obiit Casini anno 1165. Ciacconius tamen subjungit, hunc *Raynaldum* favisse Pseudo-pontifici Anacleto, qua de re honore privatum, ab eodem Pontifice restitutum asserit, cum aliis, qui prædicto Schismati consenserant.

Ciaccon. ibid. ut supra.

Raynaldum alium Abbatem item Casinensem *à Clemente III.* anno 1190. *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *Presbyterum Cardinalem* apud Panvinium, & Platinam in Epitome Pontific. Rom. reperimus, cujus tamen apud Ciacconium nulla fit mentio.

Panvin. de Cardinal. Platin. in Epit. Roman. Pontif.

Rofredus, seu *Rofridus*, *de Insulà* Campanus, patrià Arpinas, Monachus pariter, & Abbas Casinensis *à Cælestino III. de anno* 1191. *die festo Pentecostes Presbyter Cardinalis* SS. MARCELLINI, & PE-

tri renunciatus est. Is Henricum Cæsarem unà cum uxore Constantià Casinum adeuntem omnibus humanitatis officiis excoluit, eundemque mox in Germaniam redeuntem est prosequutus. Sumptò deindè Henrici exercitu Italiam repetens, Tancredum Regem Siciliæ, aliosque qui sui juris Casinum effecerant, excedere coegit, aliquotque post annos plura Romanæ ditionis loca armis recepta Apostolicæ Sedi restituit. Multa privilegia, & munera à Pontifice Innocentio III., & Imperatore Henrico pro Casinensi Cœnobio adeptus, & Legatione functus in Regno Siciliæ cum Jacobo Comite Innocentii Pontificis consobrino, post 20. annorum, & 11. mensium exercitam in Casinensi Cœnobio Præfecturam, è vivis ereptus est annò 1208.; vel, ut vult Ciacconius, 1212.

Glusianus Comes de Casate, aliàs ex Ugonio *Comes Anguisonus*, natione Italus, Civis, & Archidiaconus Mediolanensis, *Cardinalis Presbyter Titulo* SS. Marcellini, & Petri, *à Martino II., dicto IV., anno* 1281. *creatus est*. Antè Cardinalatum fuit in Urbe Sacri Palatii Auditor sub Nicolao III., à quo eidem discutienda tradita fuit declaratio Regulæ Minorum, quam ipsemet scripserat, ad comprimendos quorundam insolentes ausus, atque ad refrænandas æmulorum impudentes detractiones, qui Minorum Vitæ, ac Regulæ obloquebantur. Honorii IV. electioni interfuit. Excessit Romæ ex peste anno 1287., & in Sacrosanctà Ba- *Ex MS. Cod. Vaticano.*

silicà

filicà Lateranenfi cum hac Infcriptione fepultus eft:

ANNO DOMINI MCCLXXXVII.
MENSIS APRILIS DIE VIII.

DE MEDIOLANO COMES HOC REQVIESCIT IN ANTRO,
PRESBYTER, ET CARDO, VENIAT SIBI SPLENDOR AB ALTO,
LOMBARDIS CARVS, IPSORVM GENTE CREATVS,
DE PATRIA CARVS, DE MAGNO SANGVINE NATVS.
TV SAPIENS PECTVS IVRIS VEXILLA FEREBAS,
PAVPERIBVS LARGVS, AD PRAVA PER OMNIA LARGVS
CONSILIO MAGNVS, MITIS, DEVOTVS VT AGNVS,
MVNERIS ACCEPTOR RARVS, TV IVSTVS OBISTI,
NOMINIS ILLECTOR, CVR SIC CITO MORTE RVISTI?
HINC MEDIOLANVM, ROMANAQVE CVRIA PLORET,
NE FLEAT IN VANVM, PRO TE, ROGO, QVILIBET ORET.

Jacobus

Jacobus Columna Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Vià latà, arctissimo necessitudinis vinculo *Cardinali Glusiano* conjunctus in Basilicà Lateranensi Sacellum construxit, & Aram erexit ad Sacrificium pro *Cardinalis* Animà, hac appositâ Inscriptione:

D. O. M.
DOMINVS IACOBVS DE COLVMNA
CARDINALIS S. MARIÆ IN VIA LATA
PRO ANIMA
DOMINI COMITIS CARDINALIS
FECIT FIERI
HANC CAPPELLAM CVM ALTARI,
ET OMNIBVS.

Joannes cognomento *Monachus*, natione Gallus, vir summæ doctrinæ claritate conspicuus, precibus Caroli II. Siciliæ Regis, cum quo familiariter versabatur, à Cælestino V. anno 1294., Quatuor Temporibus Septembris Neapoli Cardinalium Collegio adscriptus est. Suffragium pro Bonifacio VIII. tulit, à quo in Gallias Legatus directus est, ut Regem Philippum Pulchrum ad officium, sacrarum pœnarum metu redigere studeret. Hoc in munere miram animi sui constantiam ostendit pro servandà Sedis Apostolicæ auctoritate, pro cujus defensione ab eodem Rege Philippo in vincula conjectus fuit. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarii munus exercuit,

cuit, & pro eà, Legatione Avenionensi functus, Avenione obiit anno 1313. Glossam auream post se reliquit, quam illustravit Philippus Probus. Scripsit etiam Commentaria in sext. Decretalium, à Bonifacio compositum, nonnullaque alia in jure Canonico. *Nostrum autem* SS. Marcellini, & Petri *Titulum obtinuisse*, constat ex Inscriptione sepulcrali ejusdem, quæ Parisiis invisitur in æde Collegii *Le Moyne*, estque hujusmodi:

HIC IACET DOMINVS IOHANNES
MONACHVS AMBIANENSIS DIOECESIS
TITVLI SANCTORVM
PETRI, ET MARCELLINI
PRESBYT. CARDINALIS, &c.

Lucam Fliscum Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ Novæ, à Bonifacio VIII. creatum sub anno 1294., apud Ciacconium *Ecclesias* SS. Marcellini, & Petri, nec non SS. Cosmæ, & Damiani *administrasse reperimus*. Verùm cum eodem tempore *nostrorum Martyrum Titulum* tenuisse *Joannem Monachum* suprà dictum sit; hinc meritò inferendum est, huic *Flisco administrationem Ecclesiæ SS. Martyrum* Marcellini, & Petri non ritè à Ciacconio asseri demandatam, & eo magis, quod *Lucam* ad Presbyterorum Cardinalium ordinem demigrasse nullibi constet; & licèt Diaconos Cardinales, Titulos Presbyterorum administrandos suscepisse ali-

Ciaccon. in Bonifacio, & alii.

aliquando reperiamus; *Lucam* tamen in ordine Diaconorum obiisse, eorum temporum monumenta cuncta testantur; & liquet ex ejus Epitaphio in Templo S. Laurentii Genuæ, quod est hujusmodi:

MCCCXXXVI. DIE VLTIMA IANVARII
OBIIT REVERENDISS. D. LVCAS DE FLISCO
S. R. E. DIACONVS CARDINALIS,
CVIVS OSSA IN HAC IACENT TVMBA,
ANIMA CVIVS REQVIESCAT
IN PACE.

Theodoricum Rainerium Urbevetanum à Bonifacio VIII. anno 1298. *Titulum* SS. MARCELLINI, & PETRI *obtinuisse* Panvinius credidit; verùm Ciacconius, & Contelorius æquiùs Titulum S. Crucis in Hierusalem habuisse ferunt; nostrum siquidem Sanctorum MARCELLINI, & PETRI *Titulum* eo tempore haud obtinere potuit, cùm eum tunc *Joannes Monachus*, ut diximus, administraret. Hic ex Priore sæcularis Ecclesiæ S. Andreæ Urbisveteris, & Sacelli Pontificii Sacerdote in Germaniam Collector missus, mòx Romanæ Ecclesiæ Camerarius, & Archiepiscopus Pisanus electus, demùm ad Cardinalitiam dignitatem evectus fuit. Episcopus postmodùm Civitatis Papalis, & Patrimonii Rector, denique Episcopus Prænestinus excessit è vivis anno 1306.

Arnaldus de Cantalupo Gallus à Clemente V. Cardinalis creatur anno 1305., eique *Titulum* San-

ctorum MARCELLINI, & PETRI *tributum fuiſſe*, Platina, & Panvinius referunt; meliùs verò ſentiunt Ciacconius, & Contelorius, qui ei Titulum S. Marcelli attribuunt, ob allatam rationem, quòd nempè haud aſſumere potuerit MARCELLINI, & PETRI *Titulum*, cùm illum præfatus *Joannes Monachus* tunc occuparet. Priùsquàm Cardinalis eſſet, Archiepiſcopatum Burdigalenſem obtinuit. Avenione defunctus eſt anno 1310.

Gaucelinus, ſeù, ut alii, *Galcellinus*, vel *Ganzelinus*, Joannis Papæ XXI., dicti XXII. de Oſſa fratris filius, natione Gallus, patriâ Cadurcenſis, *à patruo ſuo Joanne renunciatus eſt primò Presbyter Cardinalis* SS. MARCELLINI, & PETRI *de anno* 1316., ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarius; poſtmodùm Epiſcopus Cardinalis Albanus electus, pro Apoſtolicâ Sede variis Legationibus functus eſt apud Anglos, Scotos, Hibernos, & Belgas, & extincto bello, quod inter hos, & Gallos in mutuas cædes duobus ac viginti annis efferbuerat, Avenione è vità exceſſit die 3. Auguſti anni 1348., ſeu 1349. ſub Clemente VI.

Petrus de Mortuomari Gallus ab eodem Joanne XXI., dicto XXII., in Cardinalium numerum adſcriptus anno 1327., *Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI (ſi Panvinio ſit fides, contrà allatos Scriptores, qui Sancti Stephani in Cœlio Monte ei Titulum tribuunt), decoratus fuit. Antè Cardinalatum Vivarienſis Epiſcopus, deindè Antiſiodorenſis, & poſt adeptam pur-

purpuram Sabinensis, Avenione obiit anno 1345.

Fr. Pastor de Sarestudio, vel *de Serescuderio*, quem alii *de Albernaco*, seu *de Albenaco*, aut *de Aubenas*, Minorita Gallus, ad Cathedram Assisiatem promotus, deindè ad Archiepiscopatum Ebredunensem translatus in Galliis, tandem *Presbyter Cardinalis Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *declaratus est à Clemente VI. anno* 1350., juxtà Contelorii, & Oldoini sententiam. Huic, unà cum Gulielmo Carnotensi Episcopo Legatio ad Philippum Galliarum Regem commissa est pro liberandis Petro Cardinale Sancti Clementis, aliisque Cardinalibus, quos Rex in custodià detinebat, & pro revocandis iis, quæ contrà Ecclesiæ auctoritatem, & immunitatem sanxerat. Scripsit de gestis suo tempore memorabilibus, & alia. Avenione defunctus est anno 1356.

Petrus de Grosso Gallus ex Episcopo Antisiodorensi Cardinalis à Clemente VI. anno 1350. creatus, *Titulum* SS. MARCELLINI, & PETRI *obtinuit*, juxtà Panvinii sententiam. Contelorius verò, & Oldoinus in Ciacconio Titulum SS. Silvestri, & Martini collatum ipsi fuisse arbitrantur. Panvinius siquidem non benè distinxisse visus est hunc *Petrum Episcopum Antisiodorensem à Fr. Pastore de Aubenas*; cùm enim hic ex præfatorum sententià *Titulum obtinuerit* SS. MARCELLINI, & PETRI, sequitur profectò, illum eodem tempore habere nequivisse *Petrum de Grosso*, cui ideò Titulus SS. Silvestri, &

Martini meritò adfcribitur. *Inter Titulares igitur* SS. MARCELLINI, & PETRI *numerandus eſt Petrus de Groſſo*, fi Panvinio creditur, delendusque eſt ex eorundem numero *Fr. Paſtor de Aubenas*. Juxtà alios verò computandus eſt inter eos *de Aubenas*, & *de Groſſo* rejiciendus.

Fr. Gulielmus Farinerius de Gordonio Gallus Minorita, ex Miniſtro Provinciæ Aquitaniæ Seraphici Ordinis Generalis XX., demùm anno 1356. Avenione x. kalen. Januarias ab Innocentio VI., unà cum Cardinalatu *Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *inſignitus fuit*. Sequenti anno in Hiſpanias Legatus directus eſt, pacem inter eas gentes revocaturus, quà perfectà ad Pontificem rediit. Mortuus eſt Avenione anno 1361. Scripſit plura, de quibus vide Ciacconium in Vità Innocentii VI.

Philippus Cabaſſolæ Gallus ab Urbano V. Pontifice, ex Epiſcopo Caballicenſi Patriarcha Hieroſolymitanus ordinatus, interfuit Synodo Avenionenſi anno 1338., & poſt alia pro Apoſtolicà Sede egregiè peracta munera, inter *Presbyteros Cardinales Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *adſcriptus fuit*. Mòx *Epiſcopus Sabinenſis*, à Gregorio XI. in Umbriam, Etruriam, Campaniam, aliaque loca miſſus, ejusdem Pontificis in temporalibus Vicarius Generalis fuit. Poſtremò Peruſii Apoſtolicæ Sedis Legatus anno 1372. è vivis exceſſit. Ad hunc Franciſcus Petrarcha ſcripſit epiſtolam, quæ eſt 15. libri 11. rerum Senilium, eidemque ab ipſo Auctore

dicatos

dicatos fuisse duos libros de Vitâ Solitariâ, censendum est; nàm licèt in editione Basileensi nuncupetur Cardinalis *Tituli Sanctæ Sabinæ* in Præfatione ad secundum librum; cùm tamen constet, illo tempore ejusdem nominis Episcopum Caballicensem, & Patriarcham Hierosolymitanum neminem alium fuisse, quàm *Philippum Tituli* SS. MARCELLINI, & PETRI *Cardinalem*; hinc liquet, ex Amanuensium incuriâ mendum in Codicibus irrepsisse; & forsitàn ex eo, quod mòx fuerit *Sabinensis Episcopus* creatus, *Cardinalis Tituli Sanctæ Sabinæ* errore nuncupatus fuit.

Andreas Martini Bontempus Perusinus, philosophiâ, ac eruditione illustris, ex Episcopo Perusino ad Purpuram vocatus est sub *Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *ab Urbano VI. anno* 1378.* Marchiæ Anconitanæ, ac Umbriæ pro eodem Pontifice Legatus, & Generalis Vicarius, eâ in Legatione Recineti anno 1390. defunctus est.

* *Ex MS. Cod. Archiv. Vatic. (Anno 1388. xiv. kalen. Octob., à quo optatus postea Titulus Divæ in Regione Transtiberinâ).*

Petrus de Barreria in Aquitaniâ Eduensis Episcopus, Purpuram oblatam ab Urbano VI. respuit, eamque à Clemente VII. Anti-papa, unà cum *Titulo* Sanctorum MARCELLINI, & PETRI obtinuit anno 1378. Mortuus est Avenione anno 1383.

Jacobus de Montenay Gallus Archidiaconus Major Ecclesiæ Rhemensis, ejusdem Clementis Anti-papæ Cubicularius, ab ipso inter *Presbyteros Cardinales Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI (licèt alii Sancti Clementis dicant) adscriptus est anno 1383., vel

vel 1384. Avenione ultimum diem claufit anno 1391.

Angelus Barbadicus illuftri genere Venetiis natus, à Gregorio XII. Chimenfem primò, deindè Veronenfem adeptus Ecclefiam, ad Purpuram tandem *anno* 1408. *fub Titulo* SS. Marcellini, & Petri *evectus eft*. Is Pontificis ex forore nepos, Vir fingulari religione præditus, juftitiæ ftudiofiffimus, & Ecclefiafticæ difciplinæ cultor eximius, interfuit Concilio Conftantienfi; quo confecto cùm in Italiam, unà cum Martino V. reverteretur, Genuæ gravi morbo oppreffus anno 1418. Animam Deo reddidit, ibique fepultus eft.

Thomas Brancaccius Neapolitanus Epifcopus Tricarii, juxtà MS. Cod. Archivii Vaticani, à Joanne XXII. anno 1411. VIII. idus Junias, inter *Cardinales Titulo* SS. Marcellini, & Petri *pofitus recenfetur*. Ciacconius verò non hunc, fed ei Titulum Pammachii, feu SS. Joannis, & Pauli affignat; & probabiliùs apparet, hoc potiùs Titulo, quàm alio Sanctorum Marcellini, & Petri infignitum fuiffe, cùm ifto, eodem tempore *Barbadicus* decoratus legatur.

Ifidorus Theffalonicenfis Monachus S. Bafilii, & Abbas S. Demetrii Conftantinopolitani Archiepifcopus Ruthenorum, in Concilio Florentino *ab Eugenio IV. anno* 1439. XV. *kalendas Januarias adfcriptus eft Presbyteris Cardinalibus Titulo* Sanctorum Marcellini, & Petri. Is, poftquàm Ecclefias

clesias Ruthenicas, abjectis Græcorum ritibus, in eodem Concilio Romanæ reconciliasset, in Russiam reversus, ibi vitæ periculo, aliisque ærumnis vexatus est, & in carcerem conjectus. Ab eo egressus, Romamque profectus, ab ipso Eugenio Constantinopolim ad Imperatorem Legatus est missus, ut concordiam, & Christianæ fidei fœdus, quam Græci cum Latinâ Ecclesiâ Florentiæ professi erant, suâ adhortatione firmaret. Mortuo Eugenio sub Nicolao V. eodem munere functus est; sed cùm in hæresim denuò Græci prolapsi fuissent, qua de re certissimâ Dei vindictâ, per Turcas Constantinopolis fuit expugnata, ipse fugiens captus, & tandem eà servitute exsolutus, Romam pervenit, ubi anno 1463. mortuus est. Sub Nicolao Episcopus Sabinensis dictus fuit, & Commendator Ecclesiæ Sanctæ Agathæ, & Episcopatus Corviensis, sive Ficodensis; rexitque Episcopatum Corphiensem, Nicasiensem, & Pii II. jussu Patriarchatum Constantinopolitanum.

Ludovicus de Lucemburgo, quem alii *de Bar* vocant, ab ipso Pontifice Eugenio IV., eodem anno 1439. Cardinalis creatus est Titulo SS. Quatuor Coronatorum. Temporis verò decursu *alium obtinuisse* Sanctorum MARCELLINI, & PETRI, & postmodum ad Episcopatum Tusculanum translatum fuisse reperimus; nullam tamen hujusce mutationis memoriam se invenisse in Vaticanis monumentis Felix Contelorius testatus est. Hic antè Cardinalatum ex Cameræ Regiæ Cancellario, sub Henrico V. Rege

Angliæ

Angliæ Galliam occupante, ad Morinensem Episcopatum promotus fuerat, interfueratque Concilio Basileensi, & demùm Rothomagensem Ecclesiam rexerat. Obiit in Angliâ, & jacet in Eliensi Ecclesiâ, qua pariter donatus fuerat.

Ludovicus de Alibretto, vel *de Libretto*, dictus Senior, Gallus, ex Protonotario Apostolico ad preces Regis Francorum inter *Presbyteros Cardinales Titulo* Sanctorum MARCELLINI, & PETRI *connumeratus est* xv. *kalen. Januarias anno* 1461. *à Pio II. Pontifice*. Episcopus plures in Galliâ Ecclesias gubernavit, Cadurcensem scilicèt, Cordoniensem, Adurensem, & Mirapicensem. Spiritum Deo reddidit Romæ anno 1465., & in Æde S. Mariæ de Ara-cæli sepultus est.

Oliverius Carafa, primò Neapolitanæ Ecclesiæ Canonicus, deindè Archiepiscopus, tandèm precibus Ferdinandi Regis Neapolis, *Cardinalis creatus est Titulo* Sanctorum MARCELLINI, & PETRI *à Paulo II. anno* 1464. *xiv. kalen. Octobris*. Hujus tamen Ecclesiæ Titulo progressu temporis dimisso, alium Sancti Eusebii assumpsit; mòx Albanensis, deindè Sabinensis, & tandèm Ostiensis, & Veliternensis Episcopus, Sacrique Collegii Decanus renunciatus fuit. A Sixto IV. ad Ferdinandum Regem Neapolitanum Legatus à Latere missus est; cùmque idem Pontifex adversùs Turcas classem instruxisset, ei *Oliverium* Legatum, ac Ducem præfecit. Ab hac expeditione ingenti cum honore reversus, postquàm Herculi

Herculi Estensi Ferrariæ Duci Romam venienti ad excipiendam Eleonoram Ferdinandi Regis filiam, nupèr sibi nuptam, occurrerit; iterùm Neapolim Legatus à Latere directus est, ut Beatricem Aragoniam ipsius Ferdinandi filiam, ac Matthiæ Corvini Hungariæ Regis uxorem, Hungariæ Regni diademate coronaret, eamque in Hungariam usque comitatus est. Cùm autem bellum inter Sixtum Pontificem, & Ferdinandum Regem exortum esset, *Oliverius* maximà dexteritate, ac felicitate armorum motus compofuit, ac sedavit. Ab eodem Sixto Episcopus etiam Theatinus nominatus fuit; Cajacensi quoque Ecclesiæ præfuit, & Ariminensem, & Terracinensem Episcopatus administravit. Romæ tandem meritis clarus obiit anno 1511., & in Ecclesià S. Mariæ supra Minervam honorificè conditus est, sequenti Inscriptione, licèt posteà Neapolim translatus fuerit:

OLIVERII CARAFÆ NEAPOLITANI
ORDINIS PRÆDICATORVM PROTECT.
RARI EXEMPLI, DEPOSITVM,
QVI VIXIT ANNOS LXXX. MENSES X.
DIES V.
SACRI SENATVS ORNAMENTVM.
OBIIT XIII. KALEN. FEBRVAR.
RELIGIOSE, INTREPIDEQVE
MAGNO SVI DESIDERIO RELICTO.

Philippus de Levis Gallus ex Referendario Apoftolico Agathenfis primò Antiftes, deindè Auxitanus Archipræful, & Arelatenfis, demùm à *Sixto IV. anno* 1473. *Cardinalis creatus eft Titulo* SS. Marcellini, & Petri. Romæ mortuus eft anno 1475., & in Bafilicà Liberianà marmoreo fepulcro juxtà fores ejusdem Bafilicæ tumulatus eft, cum hoc Epitaphio:

P H I L I P P V S D E L E V I S

TIT. SS. PETRI, ET MARCELLINI CARD.
ARELATENSIS, E GALLIA ORTVS,
ILLVSTRIS MORIBVS, VIRTVTE ILLVSTRIOR, ROM. PONT., ET CHRISTIANISS. FRANCORVM REGIBVS MAGNO IN PRETIO HABITVS, IN SENATVM APOSTOLICVM PROBITATE ADSCITVS, OBIIT SVO NATALI, MAGNO SVI DESIDERIO RELICTO, QVIPPE QVI CORPORIS, ET ANIMÆ BONIS PRÆDITVS, SVMMAQVE AVCTORITATE POLLENS PROFVIT QVIBVS POTVIT, OBFVIT NEMINI.

VIXIT ANN. XL. MCCCCLXXV.
PRID. NON. NOVEMBRIS.

Georgius

Georgius Costa Lusitanus, pietate, prudentiâ, & ingenio clarus, Regis Lusitaniæ à Confessionibus, & Consiliis, Archiepiscopus Ulyssiponensis primò factus, deindè ad preces ejusdem Regis *xv. kalen. Januarias anno* 1476. *à Sixto IV. inter Presbyteros Cardinales Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *cooptatus est*. Postmodùm S. Mariæ Transtiberim Titulum adeptus, & Bracharensem Ecclesiam administravit, & Ecclesiis Albanensi, Tusculanæ, & Portuensi præfuit. Apostolicæ Sedis Legatus ad Venetam Rempublicam, & ad alios Italiæ Principes pro ejusdem Italiæ pace procurandâ accessit, eamque inter Venetos, & Ferrariæ Ducem composuit. Legatione quoque functus est pro Innocentio VIII. ad excipiendum sacrum Lanceæ Ferrum, illudque Narniâ Romam unà cum Juliano Cardinali à Ruvere deduxit. Ultimæ senectutis vir, nàm ad centum & duos pervenit annos, Romæ è vitâ migravit anno 1508., & in Æde S. Mariæ de Populo tumulatus est.

Bernardinus Caravagial, seu *Caravajal*, Hispanus, Orator Hispaniarum Regis, & Charthaginensis Episcopus, munus illud gerens *ab Alexandro VI. anno* 1493. *xii. kalen. Octobris inter Presbyteros Cardinales adscitus est Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI; quem tamen posteà dimisit, ut alium Sanctæ Crucis in Hierusalem optaret. Post acceptum Purpuræ decus Sedis Apostolicæ Legatus Maximiliano Romanorum Regi occurrit; Legatus etiam ad

Ferdinandum Regem Neapolis, venientem ad Urbem, à Julio II.; (à quo ftultè deficiens, cum fociis Cardinalibus Pifanum Conciliabulum indixerat) Cardinalitiâ dignitate privatus, à Leone X. reftitutus eft. Epifcopus Seguntinus, Fulginas, Afturicenfis, Hierofolymitanus Patriarcha, & Albanus, Tufculanus, Prænestinus, Sabinus, & denique Oftienfis Præful, Sacrique Collegii Decanus fuit. Tandem Romæ diem claufit extremum anno 1522., & in Æde Sanctæ Crucis fepultus eft.

Philippus Lucemburgius Gallus, priùs Attrebatenfis Epifcopus, deindè Morinenfis, demùm Cenomanenfis anno 1496.*, inftante Carolo VIII. Rege *ab Alexandro VI. Presbyteris Cardinalibus Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *adfcriptus eft*. Albanenfem, & Tufculanam Ecclefias rexit. Legatus à Latere, ut in Galliis cognofcendæ, definiendæque controverfiæ fuper Matrimonii nullitate, exortæ inter Ludovicum XII., & Joannam Franciæ, Judex vacaret, renunciatus fuit. Obiit Cenomani anno 1519., ubi in fuâ Cathedrali fepultus eft.

* Ex MS. Cod. Vatican. anno 1497. kalen. Jan.

Ludovicus de Amboife Gallus Epifcopus Albienfis, *à Julio II. Purpurà infignitus eft Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI anno 1507.* Anconæ in Italiâ obiit, & corpus Laureti tumulatum eft.

* Ex MS. Cod Vatican. anno 1506. pridie nonas Januar.

Chriftophorus Anglicus, Doctor fui temporis clarus, Henrici VII. Regis ab eleëmofynis factus, mòx nonnullis in Angliâ Epifcopus Ecclefiis præfuit. Pro eodem Rege pluries Legatus, ab eo ad Archie-

Archiepiscopatum Eboracensem evehitur. Ab Alexandro VI. Quæstor in Angliâ constitutus, tandem ad Sedem Apostolicam à Rege Orator missus, inter *Presbyteros Cardinales à Julio II. anno* 1511. *Titulo* SS. Marcellini, & Petri *adscribitur*. Adeptus postmodùm S. Praxedis Titulum, in Castris ejusdem Pontificis contrà Gallos Legatus stetit. Iracundi, & intemperantis ingenii vir, morum acerbitate violentum sibi vitæ exitum attulit, nàm operà Raynaldi Mutinensis sui familiaris veneno interemptus est Romæ anno 1514., & in Ecclesiâ S. Thomæ nationis Anglicæ sepulcrum obtinuit.

Hadrianus Gouffier, aliàs *Boisius*, Gallus, primò Protonotarius Apostolicus factus, postmodùm Episcopus Constantiensis in Normanniâ, deindè ad Albiensem Infulam subvectus, demùm Francisci I. Regis favore *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Titulo* Sanctorum Marcellini, & Petri *à Leone X. xix. kalendas Januarias anno* 1515. *Bononiæ creatus est*. Hinc S. Sabinæ, S. Balbinæ, ac S. Mariæ in Viâ latâ Titulos habuit, & in Galliâ Legati Apostolicæ Sedis vices gessit. Obiit in Galliâ anno 1526.

Franciscus Turnonius Gallus, Cleri electione Archiepiscopus Ebredunensis consecratus, deindè Procerum Regni Galliarum judicio ad Carolum V. Imperatorem Legatus, mòx Bituricensis Archiepiscopus, instante Francisco Rege *anno* 1530. *xiv. kalendas Januarias à Clemente VII. Presbyter Cardi-*

Cardinalis Titulo Sanctorum Marcellini, & Petri *renunciatus est*. Obtinuit deindè primò Sabinensem, posteà Ostiensem Episcopatum Sacri Collegii Decanus. Huic Monasterii S. Germani Parisiensis Præfecto decreta est cum Cardinali Gradimontano ad Clementem Pontificem gravissima Legatio; & tandèm Lugdunensis Ecclesiæ Antistes Galliarum Primatum est assequutus. Apud Reges Galliæ maximo in pretio fuit, quibus memorabilem, & maximam operam gravissimis in rebus impendit. Demùm pro Catholicà Ecclesià multis laboribus confectus, diebus, & meritis plenus Lutetiæ Parisiorum obiit anno 1562.

Georgius de Amboise Gallus, Georgii senioris Cardinalis nepos, Ecclesiæ Rothomagensis primò Canonicus Thesaurarius, & Archidiaconus, posteà Archipræsul, & Primas Normanniæ, ad Gall. Regis preces *à Paulo III. anno* 1545.* *Titulo* SS. Marcellini, & Petri *unà cum Cardinalitià dignitate decoratur*. A Rege delectus fuit, ut universæ Neustriæ suà auctoritate, & industrià præesset, Ecclesiastici, ac sæcularis regiminis Gubernator constitutus. Obiit Vigniaci anno 1550., corpusque posteà in Urbem Rothomagensem translatum, ibi tumulatum est.

* *Ex MS. Cod Vatican. anno* 1546. xvi. *kalendas Januar.*

Fr. Petrus Bertanus Mutinensis Ordinis Prædicatorum Theologus eximius, primò Fanensis Episcopus ad Concilium Tridentinum missus, mòx ad Carolum V. Imperatorem Nuncius, tandèm *inter Presby-*

Presbyteros Cardinales Titulo SS. MARCELLINI, & PETRI *anno* 1551. *xiii. kalendas Januarias à Julio III. relatus est*. Obiit Romæ anno 1558., & in Ecclesiâ Sanctæ Sabinæ sepultus est.

Joannes Franciscus Gambara Brixiensis ex Familiari, & Cubiculario Julii III. Præpositurâ Virolæ insignitus, Apostolicæ Cameræ Clericus, & Præsidens factus, mòx Sanctæ Romanæ Ecclesiæ primùm Diaconus, posteà *Presbyter Cardinalis Titulo* Sanctorum MARCELLINI, & PETRI *anno* 1561. *à Pio IV. creatus est*. A Pio V. ad secreta Consilia in arduis Pontificatus curis, maximè ad Religionem spectantibus, admissus est. Titulos quoque S. Pudentianæ, S. Priscæ, S. Anastasiæ, & S. Mariæ Transtiberim obtinuit, à quibus ad Episcopatum primò Albanensem, deindè Prænestinum promotus fuit. Episcopatum pariter Viterbiensem habuit. Vir fuit Ecclesiasticâ severitate insignis, justitiâ conspicuus, & prudentiâ singularis. Maximo Christianæ Reipublicæ detrimento Romæ obiit anno 1587.

Flavius, vel, ut alii, *Fulvius Ursinus*, Romanus, (alii Neapolitanum dicunt) Gravinæ Ducis filius Episcopus Muranensis in Apuliâ, ex utriusque Signaturæ Referendario, & Cameræ Apostolicæ Auditore *à Pio IV.* IV. *idus Martias anno* 1565. *Presbyter Cardinalis primò* Sancti Joannis antè Portam Latinam, *deindè* SS. MARCELLINI, & PETRI *renunciatur*. Purpuram adeptus, Archiepiscopatum Consentinum administravit; deindè sub Greg. XIII.

in

in Galliam ad Carolum IX. Regem Legatus missus; in Urbem reversus, Belgarum Protector, & Signaturæ Brevium Præfectus fuit. Postremò Neapolim infirmam valetudinem reparaturus contendit, ubi anno 1581. defunctus est.

Stephanus Bonuccius Aretinus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis Generalis Magister, posteà Episcopus Alatrinus, mòx Aretinus, & Sacræ Inquisitionis Consiliarius; tandèm *anno* 1587. *à Sixto V. Presbyter Cardinalis Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *creatur*, & Sacri Concilii Tridentini Interpretationibus præponitur. Is pleuritide laborans, Romæ obiit anno 1589., & in Ecclesiâ Sancti Marcelli tumulo mandatus fuit.

Marianus Perbenedictus Camerinensis, Canonicæ Camerini Prior, indè Abbas, & Baro Trillii, postmodùm S. Angeli in Foro Piscium Canonicus, mòx Episcopus Marturani constitutus, deindè Urbis Gubernator, tandèm *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *renunciatus est à Sixto V. anno* 1589. *xix. kalen. Januarias*. Eodem Pontifice paulò post è vivis erepto, sequentibus indè aliis Pontificibus carus fuit, & ab ipsis pluribus honoribus, & redditibus decoratus, inter quos afferre sufficiat Paulum V., qui eum totius Ecclesiastici Status negotiis præfecit. Sub eodem Titulum Sanctæ Mariæ Transtiberim obtinuit, deindè ad Episcopatum Tusculanum evectus fuit. Vir pietatis, & doctrinæ nomine clarus, cui nostra San-

Sanctorum Martyrum *Basilica* plurimùm debet, cùm ipsam, ut alibi diximus, picturis, & aliis ornamentis amplissimè nobilitaverit. Obiit Romæ anno 1611., & ejus corpus in Basilicà Sanctæ Mariæ Majoris conditum fuit.

Joannes Baptista Detus Florentinus, suadente Petro Cardinale Aldobrandino nepote adhùc adolescens à Clemente VIII. anno 1598. in Cardinalium Collegium adscriptus fuit. Diaconiæ S. Hadriani primùm præfuit, deindè S. Mariæ in Cosmedin, ex qua ad Presbyteratum gradum fecit, & *Titulum* Sanctorum Marcellini, & Petri *obtinuit*; tandèm optionis jure ad Episcopale munus ascendit, & Albanensem, Tusculanam, Portuensem, & Ostiensem Ecclesias Sacri Collegii Decanus rexit. Petro Cardinale Aldobrandino Romà absente Camerarii officium exercuit. In Urbe è vivis sublatus est anno 1630., & in Templo S. Mariæ supra Minervam tumulo donatus.

Horatius Maffeus Romanus Cameræ Apostolicæ Clericus, mòx *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis renunciatus à Paulo V. anno* 1606. Sanctorum Marcellini, & Petri *Titulum accepit*. Ad Archiepiscopatum Ecclesiæ Theatinæ promotus, cùm ibi in morbum incidisset, Romam se contulit, ibidemque ex hac vità decessit anno 1609., & in Ecclesià S. Mariæ supra Minervam conditus fuit.

Ex MS. Cod. Vatic.

Hic successit in Tit. Cardin. Perbenedicto, *creatus* 1606. 3. *idus Sept.*

Martius Ginnettus Veliternus Cardinalis primùm

mùm

mùm Diaconus S. Mariæ Novæ ab Urbano VIII. creatus est anno 1626., hinc per optionem SS. MARCELLINI, & PETRI *Titulum adeptum fuisse* testatur MS. Codex Archivii Vaticani, licèt id silentio prætereant Ciacconius, & alii. Albanensis dehinc, Sabinensis,& Portuensis Episcopus, & ejusdem Pont. in Urbe Vicarius, pluribus pro Apostolicà Sede Legationibus functus, & de totà Christianà Republicà optimè meritus, tandèm senio confectus efflavit animam anno 1671.

Hieronymus Boncompagnus Bononiensis, Jacobi Soræ Ducis filius, Gregorii XIII. trinepos, utriusque Signaturæ primùm Referendarius, & Congregationis Boni Regiminis Ponens, deindè ex Sacrorum Rituum Congregat. Secretario ab Innocentio X., (antequàm etiam trigesimum ætatis annum attigisset) Archiepiscopus Bononiensis renunciatus est; tandèm *de anno* 1664. *postridiè idus Januarias ab Alexandro VII. Presbyteris Cardinalibus adscriptus*, *Titulum* Sanctorum MARCELLINI, & PETRI *obtinuit*. Hic Bononiensem rexit Ecclesiam annos duos supra triginta tam eximio probè actæ vitæ exemplo, tantà morum integritate, tantàque super commissum sibi gregem vigilantià, ut è vivis ereptus lacrymas plurimorum attraxerit; & Bononia tàm dilecto viduata Pastore nullum consolationis argumentum admiserit. Anno antequàm is morti concederet, cùm Turcarum Tyrannus, ingenti comparato exercitu, totis Orientis viribus Viennæ incubaret,

ret, in tàm arcto Christianæ Reipublicæ periculo, precibus, & jejuniis præsto fuit, & quadraginta dierum spatio in Metropolitanâ Ecclesiâ coram Vener. Sacramento cum universo populo procubuit, Divinam opem contrà Otthomanicos conatus imploraturus. Vix potuit de illustris Urbis liberationis nuncio gaudere, & publica edere signa lætitiæ, cùm ineunte anno 1684. parotide cœpit ægrotare, indèque ardentissimâ exurgente febri, (quod illi contigisse existimatum est ob nimios toleratos calores, dùm in Ecclesiâ, ut suprà diximus, assiduis precibus vacaret) obiit, annum ætatis agens 63., IX. kalen. Februarias 1684., qui dies sacer est S. Zamæ primo Bononiensi Episcopo. Die primâ Februarii luctuoso quidem, sed tamen splendido apparatu in Metropolitanâ Sancti Petri Ecclesiâ funus illius celebratum est, & post Missam pereleganti quidem stylo, & magnitudini argumenti accommodato funebrem habuit Orationem Canonicus Ulysses Gozadinus, modò Archiepiscopus Theodosiæ, & Apostolicorum Brevium ad Principes à Secretis, non minùs nobilitate generis, quàm doctrinæ, ac ingenii laude præclarus. Quæ omnia desumpsimus ex Monumentis nobis eximiâ benignitate traditis ab Eminentiss. Dño Jacobo Cardinali Boncompagno, supradicti Hieronymi fratris filio, ejusque in Archiepiscopatum meritissimo successore, in quo Bononiensis Populus redivivas omnes gratulatur virtutes, quas in patruo fuerat admiratus.

Jacobus Cantelmus Neapolitanus, primùm Melitæ Inquisitor, ferventissimo se zelo insignivit, ità ut Romam evocatum Innocentius XI. illum Apostolicum Nuncium ad Helvetios miserit; hinc ab ipso Pontifice apud Poloniæ Regem idem subiturus munus destinatus, mirà agendi dexteritate, & prudentià maximam sibi gloriam comparavit. Ab Alexandro VIII. Innocentii successore Augustam Vindelicorum missus, Senatui Electorali Pontificis nomine interfuit, cùm Joseph Leopoldi I. Cæsaris major natu in Romanorum Regem assumptus fuit. Ab eodem demùm idibus Februarii anno 1690. in Cardinalium Collegium cooptatur, *Titulo* SS. MARCELLINI, & PETRI *eidem attributo*. Paulò post Capuanam Ecclesiam regendam suscepit, à qua ad Neapolitanam translatus est ab Innocentio XII., qui Alexandro in Petri Cathedram suffectus est. Cùm igitur summo religionis zelo commisso sibi gregi custodiendo studeret, morte præventus occubuit anno 1702. III. idus Decembris. Sepultus est autem in suà Metropolitanà Ecclesià in tumulo, quem sibi vivens Innocentius. XII., dùm Archiepiscopus Neapolitanus erat, posuerat, deindè ad Summum Pontificatum evectus in argumentum benevolentiæ ei tradiderat. Ipsum verò Restainus Cantelmus germanus frater Dux Populi hac Epigraphe insignivit:

D. O. M.

D. O. M.

IACOBVS S. R. E. CARD. CANTELMVS
E DVCIBVS POPVLI
ARCHIEPISCOPVS NEAPOLITANVS
HVMANIS, DIVINISQVE LITERIS
MIRE ERVDITVS,
LEGATIONIBVS AMPLISSIMIS
PRO DEI ECCLESIA
FELICITER FVNCTVS,
ACERRIMVS ECCLESIASTICÆ
DISCIPLINÆ VINDEX,
EFFVSA IN PAVPERES LARGITATE,
MORVMQVE INNOCENTIA INSIGNIS,
MAGNO CVM OMNIVM ORDINVM
LVCTV E VIVIS SVBLATVS
HOC IN TVMVLO
AB INNOCENTIO XII. PONT. MAX.
SIBI DONO DATO
CONDITVS EST
ANNO DOMINI MDCCII.

Labentem ſui Tituli Sanctorum Marcellini, & Petri *Baſilicam* inſtaurare in animo habuit, ſed immaturà morte præreptus, quod optimum conſilium conceperat, implere minimè potuit.

FRAN-

Franciscus Pignattellus ex Julio Pignattello Nojæ Principe, & Beatrice Carafà in Lucanià Neapolitani Regni Provincià natus quintà die Februarii anni 1653., tertium decimum ætatis annum agens Neapoli Ordinem Clericorum Regularium, vulgò Theatinorum, ingressus est. Emissà Regulari Professione, literis erudiendus Florentiam mittitur, studiorumque mòx feliciter peracto curriculo, Philosophiam primò, deindè sacram Theologiam alios docere tùm Romæ, tùm Matriti, maximo omnium profectu, & utilitate, præcipitur. Anno autem Domini 1683. rogatu Caroli II. Hispaniarum Regis Tarentinæ Ecclesiæ præficitur, quo in munere optimi Pastoris partes gerens, ut commissi sibi gregis securitati consuleret, nil intentatum reliquit. Adscitis siquidem undequaque in partem sollicitudinis disertissimis Viris, (ex quibus tres, qui in Ecclesiæ regimine Vicarii ipsius Generales fuerunt, ad Episcopales Infulas, id illorum exigentibus meritis, promoti sunt) plebis suæ tùm corruptos mores componere, tùm gressus in viam salutis dirigere studuit. Præ vetustate collabentem Metropolitanam suam Ecclesiam antiquo decori restituit, atque Archiepiscopales Ædes, ipsis à fundamentis novas alias adjiciens, munificentissimè ampliavit. Anno autem 1700. ab Innocentio XII. Romam vocatus, Apostolicus Nuncius ad Poloniæ Regem Augustum II. mittitur, cui nuper è Lutheranà Hæresi ad Catholicam Religionem converso talis, ac tantus

Præsul

Præſul Romani Pontificis vices gerens acceptiſſimus fuit. In profligandis ſiquidem ab omni illius ditione erroribus, atque hæreſibus omnem impendens operam, inter cætera magnum illud effecit, ut Schiſma Ruthenum, quod per tot ſæculorum curricula innumeras gentes à veræ Eccleſiæ unione evulſerat, penitùs extingueretur, dùm Livoniæ Epiſcopus Schiſmaticorum noviſſimus, ſolenniter propriis abdicatis erroribus, Apoſtolicæ Sedis obedientiæ coram Archiepiſcopo Kyovicenſi ſeſe ſubmiſit. Ad firmandam verò præfatam unionem exoravit, & à ferventiſſimo zelo CLEMEMTIS XI. Pont. Max. obtinuit, ut Seminarium eorundem Ruthenorum Leopoli conſtitueretur, ædibus ad hoc in ipsà Civitate comparatis, ut in eo illius Nationis Adoleſcentes excepti, Fide Catholicà, & literis imbuerentur.

Defunćto autem anno Dñi 1702. die 11. Decembris Jacobo Cardinali Cantelmo Neapolitano Archiepiſcopo, in hujus locum Franciscus ſubrogatur; quapropter Polonià diſcedere coactus, Romam dùm pergit, ab ipſo Summo Pontifice CLEMENTE XI. Cardinalis creatur, eique deindè *noſter* Sanćtorum Marcellini, & Petri *tribuitur Titulus*, qui ſtatìm magnanimi Principis, & piiſſimi Præſulis operà, depoſitis vetuſtis ſordibus, novam faciem exhibere viſus eſt; multiplici ſiquidem picturà illius decorari frontem juſſit, dùm interea animo meditatur antiquo nitori inſignem *Baſilicam* omnimodè reſtituere, ut futurum ſperamus.

Et

Et hæc de *Bafilicis* Sanctorum Marcellini, & Petri dicta sufficiant. Verùm si juxtà Tullium
Cic. 2. Tusc. „ [quidquid literis mandatur, id commendari omnium eruditorum lectione decet]; quomodò igitur qui ea, quæ scripsi, nec disponere, nec illustrare scivi, ut par erat, eruditorum mihi laudes ritè comparasse credam? Ideò à Lectore meo non laudes, sed veniam deprecabor, qui tamen mea legere non dedignabitur, si meminerit Pliniani
Plin. jun. lib. 2. Epist. alterius moniti, quod [nullus Liber tàm malus „ est, qui non aliquà parte prosit].

Finis Tertiæ, & Ultimæ Partis.

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

Arin-

B

ad

Eadem

C

Aquam

INDEX.

Ejus-

I N D E X.

Sic

D

E

Epis-

G

Ejus-

I N D E X.

Grego-

H

Ejus-

INDEX.

Hiero-

Jacob

I N D E X.

I

K.

L.

I N D E X.

Eorum

Memoriæ.

N

Pius

Q

R

Regio

I N D E X.

S

Ejus-

Istis

I N D E X.

Floren-

I N D E X.

I N D E X.

Tribus:

V

Vasa

F I N I S.